31
5 II
11

VI.
B

IGNOTO
DEO
QVIDAM.IRRIDERANT
QVIDAM CREDIDERVNT

CLEMENTIS
UNDECIMI
Pontificis Maximi
ORATIONES
CONSISTORIALES.



ROMÆ M.DCC.XXII.

Apud Jo: MARIAM SALVIONI Typographum VATICANUM
In Archigymnasio SAPIENTIÆ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO XIII.

PONT. MAX.

ANNIBAL S. MARIÆ IN COSMEDIN DIACONUS CARDINALIS ALBANUS S.R.E. CAMERARIUS

PERENNEM FELICITATEM.

Quod Sanctitati tuæ humiliter offero, Orationum Conſiſtorialium Volumen ſynceram, genuinamque continet Tui Prædeceſſoris Imaginem, quam eò benigniori vultu excipiendam à Te fore arbitratus ſum, quò certius non externa corporis lineamenta, ut coloribus depictæ tabulæ ſolent, ſed præſtantes Illius animi dotes, quæ longè majori in pretio apud om-

omnes habitæ ſemper fuere, luculenter exprimit, & ob oculos ponit. In ipſis ſiquidem Orationibus, Beatiſſime Pater, eximium conſpicies Zelum, quo Clemens XI. perpetuò flagravit, ut Fidem vel in propinquioribus Regionibus incorruptam, & ſartam tectam cuſtodiret, vel ad remotiſſimas uſque Orbis terrarum Nationes extenderet, & propagaret. Incenſum prætereà, & conſtans agnoſces Eccleſiæ jura, Apoſtolicæque Sedis authoritatem tuendi ſtudium, ac eloquentiam, ſacram equidem, qualis Summum Pontificem planè decet, ſed non incomptam, imò nec illis deſtitutam luminibus, ac ornamentis, quæ gratiam ipſi, & pretium apud Eruditos, ac eos præſertim, qui latini ſermonis puritatem, atque nitorem amant, conciliare conſueverunt. Verumtamen ut conſilium ſuſciperem eas Sanctiſſimo Tuo inſcriptas Nomine in lucem proferendi, illud præcipuo mihi incitamento fuit, quòd illuſtre in ipſis argumentum invenies egregiæ opinionis, & exiſtimationis, quam Author de præclaris virtutibus tuis jamdudum animo conceperat, & reipſâ palàm declaravit, dum Te inter primos ad ampliſſimam Cardinalatus dignitatem evexit. At quàm uberi gloriæ fœnore erga Clementem XI., quot, quantiſque erga illius Familiam beneficiis, Sanctiſſime Pater, accepto beneficio vicem rependiſti! Quod ad ejuſdem

Pon-

Pontificis gloriam attinet, ſatis fuerit tuam ad Catholicæ Eccleſiæ regimen aſſumptionem intueri; quæ cum unanimi omnium Electorum conſenſu, communique Nationum gaudio peracta ſit, locuples jam teſtis eſt acerrimi, graviſſimique judicii Prædeceſſoris tui in iis deligendis, qui ad ſupremas Sanctuarii Cathedras extolli deberent. Quod autem ad Albanæ Gentis rationes pertinet, nemo propemodum in eâ cenſetur, qui inter ipſa Imperii tui primordia gratiis, & honoribus munificentiſſimè cumulatus à Te non fuerit. Quæ verò clementia Tua liberali manu in nos contulit, maxima beneficia hic ſingillatim perſequi mihi longum, ac in medium afferri Tibi forſitan ipſi grave, atque moleſtum accideret; cum magni, excelſique animi Principibus, qualis planè eſt SANCTITAS TUA, *libenter beneficia, Divinitatis exemplo, tribuere, & æquè libenter ea oblivi ſci ſolemne ſit. Nulla tamen ætas illorum in nobis extinguet memoriam, omnique tempore nos, & gratiſſimos profitebimur debitores, & ſubditos maximè fideles præſtabimus* SANCTITATI TUÆ, *cui ſynceros hoſce Cordium noſtrorum ſenſus ipsâ, ubi opus fuerit, ſanguinis effuſione comprobare, teſtatoſque facere parati erimus. Ceterùm ſi unâ tantùm familiâ præclaris adeò ornata à Te fuit beneficiis, qualia profectò in eâ, in qua verſamur, temporum*

diffi-

difficultate Eccleſia Dei à SANCTITATE TUA *ſibi meritò polliceri non poterit? Communis certè plauſus, quo Catholici Principes univerſi tuam ad Apoſtolicam Sedem provectionem exceperunt, firmam nos in ſpem adducit fore ut finis aliquando imponatur vexationibus, ærumniſque illis, quibus tandiù Eccleſia ipſa ubique ferè locorum per manifeſtam injuriam afflicta fuit. Ego verò, qui diuturno viginti, & amplius annorum ſpatio non tam publicarum calamitatum, quàm invictæ conſtantiæ, indefeſſæque* CLEMENTIS XI. *vigilantiæ proximus ſpectator extiti, eam temporum felicitatem* SANCTITATI TUÆ *conceptis votis auguror, ut occaſio Tibi præbeatur illam animi moderationem in proſperis adhibendi, quam Defunctus in adverſis oſtendere compulſus fuit. Hoc enixis inſuper, accuratiſquè precibus à divina clementiâ flagitare nunquam intermittam; dum in genua provolutus Sanctiſſimos Tuos Pedes, qua par eſt, veneratione deoſculor.*

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Epiſc. Bojan. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.



IN PRIMO CONSISTORIO SECRETO

HABITO IN PALATIO APOSTOLICO VATICANO

Die 15. Decembris 1700.

ARGUMENTUM.

De ſua ad ſummum Pontificatum aſſumptione Sacro S. R. E. Cardinalium Collegio gratias agit.

VENERABILES FRATRES.

I. Mpoſitam humeris noſtris Apoſtolicæ ſervitutis ſarcinam, imbecillitate primùm noſtrâ ſuadente, ſicuti noſtis, quantum licuit, detrectavimus; Divinâ tandem impellente voluntate, cui non eſt, qui reſiſtat, vel inviti ſuſcepimus. Quanto id animi noſtri dolore contigerit, cùm ſatis abundè Vobis perſpectum ſit, non eſt, quod pluribus nunc exponamus. Studemus jam mœrorem noſtrum ita temperare, ut non oblivi-ſcamur officii. Hinc quoniam non verecundæ, ſed ingratæ mentis indicium eſt beneficia tacere Divina, & ſatis dignum eſt à Sacrificiis Dominicæ laudis obſequium conſecrati Pontificis inchoare, agimus primùm, & ſemper acturi ſumus Omnipotenti Deo uberrimas gratias, qui Nos, quantumvis indignos, tam altè juſſit aſcendere; gratum deindè erga Vos quoque animum profitemur, qui Divinæ voluntatis Interpre-

tes, ac Miniſtri, tantâ animorum, ſtudiorumque conſenſione, tam honorificum, tam ſanctum, etſi immeritum, de noſtra humilitate judicium protuliſtis. Et ſanè quantum ob judicium hujuſmodi, licèt Nobis grave nimis, & permoleſtum, Vobis debeamus, exprimere verbis non poſſumus: re ipſa tamen declarabimus, quoties ſe Nobis occaſio obtulerit benemerendi de commodis, ac Dignitate Ordinis Veſtri. Ea interim Nos in tanto rerum diſcrimine conſtitutos vel maximè ſpes conſolatur fore ut, qui elevans alliſit Nos immenſo oneri, quod ſubimus, ſupponat manum ſuam, ac Dextera ejus glorificetur in Nobis. Studium inſuper, quod Vos tam alacriter, & conſtanter in Nos eligendo ad extremum retinuiſtis, Nobis in Paſtorali munere exequendo non deſit; cùm præſertim ad veſtram quoque laudem pertineat factum veſtrum, veſtrum quodammodò beneficium, tueri. Amoris profectò veſtri fuit exiguitatem noſtram ad hoc rerum humanarum faſtigium evehere; neque enim in id conſilii devenire umquam potuiſtis, niſi ſolius ductu charitatis, quæ non cogitat malum, & in oculis veſtris noſtrorum operuit multitudinem peccatorum. Muneris modò veſtri erit Electo aſſiſtere, oneratum ſublevare, deficientem admonere, laboranti in excolenda Domini vinea allaborare. Nos certè operâ, conſilioque veſtro in Catholicæ Eccleſiæ regimine libentiſſimè utemur, ac noſtris non fidentes viribus, quæ nullæ ſunt, ſed Divinâ, quæ ſperantes in ſe confundi non patitur, virtute ſuffulti, non faciemus animam noſtram pretioſiorem, quàm Nos, dummodò conſummemus curſum noſtrum, & miniſterium, quod accepimus à Domino Jeſu, fideliter impleamus. Reliquum jam eſt Patrem miſericordiarum potentem ſuſcitare de lapidibus filios Abrahæ enixè à Vobis rogari, ut infirmitatem noſtram ope ſuâ adjuvet, velitque electionem, quam per vos peregit, benè, ac feliciter Chriſtianæ Reipublicæ evenire.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 21. Februarii 1701.

ARGUMENTUM.

Obitum Caroli II. Hiſpaniarum Regis Catholici impensè dolet. Defuncti laudes commemorat, & ſolemnium Exequiarum in Pontificio Sacello pro illius animæ ſuffragio celebrandarum diem deſignat. Poſtremò univerſale Jubileum ad divinam opem ſui Pontificatus initio, & pro occurrentibus Eccleſiæ neceſſitatibus implorandam indicit.

VENERABILES FRATRES.

Bi primum, vel ipſo rumore publico nunciante, Vobis innotuit cla. mem. Caroli Secundi, dum vixit, Hiſpaniarum Regis Catholici obitus, bene novimus quanta illum animorum commotione, non ut unius modò gentis, aut Regni, ſed veluti communem quamdam Catholicæ Eccleſiæ jacturam exceperitis omnes unà Nobiſcum, & dolueritis. In eo videlicet amiſſum religioſiſſimum Principem, ac de orthodoxa fide optimè meritum agnoviſtis. Perlatis modò ad Nos, cùm Regiæ mortis nuncio, conſuetis erga hanc Sanctam Sedem obſequii ſignifi- II.

cationibus, æquum, & tanti Regis dignitati conſonum duximus Vobis ex hoc loco, ut moris eſt, ea de re verba facere, non tam ut communis doloris, eo etiam nomine Nobis acerbioris, quia graviſſimum Apoſtolicæ ſervitutis onus humilitati noſtræ impoſitum in mentem revocat, memoriam renovemus, quàm ut Vos omnes ad proſequendas Nobiſcum pro Regis anima ad Deum preces, quod & hactenus Vos præſtitiſſe non dubitamus, pro munere noſtro impenſiùs adhortemur. Interim publicas de more Vobiſcum in Pontificio Noſtro Sacello proximâ feriâ quartâ eidem Regi, ut par eſt, exequias celebrabimus, de veſtra quidem pietate confiſi, quòd exſolvendi jampridem funeris tarditatem charitatis ardore compenſabitis.

Ceterum, VENERABILES FRATRES, quod ſub ipſo ineuntis Pontificatûs Noſtri limine verebamur, quotidiano jam experimento cognoſcimus: veniſſe nimirum Nos in altitudinem maris, in quo ne tempeſtas demergat Nos, efficere ſola valet Omnipotentis Dei dextera, quæ mari, ventiſque imperat. Auxilium itaque de Sancto ſolummodò expectantes inter tam gravia imminentium bellorum diſcrimina, aliaſque tantas rerum, ac temporum difficultates, ad veſtras, & univerſæ Eccleſiæ preces confugimus, quæ ut Dei auribus gratiores accedant, crediti Nobis Dominici gregis pietatem excitare decrevimus, concedendo Indulgentiam plenariam in forma Jubilei omnibus Chriſtifidelibus in alma Urbe noſtra quidem exiſtentibus, qui intrà ſpatium duarum ſequentium hebdomadarum jejunaverint quarta, & ſexta feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujuſmodi, & Baſilicas S. Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris, vel earum aliquam viſitaverint, ibique oraverint, & peccata ſua confeſſi Sacram Communionem ſumpſerint, nec non Pauperibus eleemoſynam, prout ſua cuilibet pietas ſuaſerit,

erogaverint; Ceteris verò extra Urbem præfatam commorantibus, qui Eccleſiam, ſeu Eccleſias ab Ordinario deſignandam, ſeu deſignandas viſitaverint, & alia omnia præfata adimpleverint. Qua in re non ſolùm laudabilibus Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum hoc, veluti periculoſi itineris viatico, Pontificatum auſpicantium exemplis inſiſtimus, ſed temporis etiam opportunitati occurrimus, cùm advenerint dies acceptabiles, dies ſalutis, qui ſicuti Nos ad impenſiùs orandum, ita Divinam clementiam ad liberaliùs indulgendum invitant, & ſpem certam faciunt conſequendi veram illam, & cœleſtem pacem, ſinè qua nequit & ipſa, quam Nos inter Catholicos Principes tam ſolicitè cuſtodire ſatagimus, pax humana conſiſtere. Agite ergo, VENERABILES FRATRES, Deum, qui eſt multæ miſericordiæ omnibus invocantibus ſe, ſine intermiſſione obſecrate, ne tam turbulento tempore, quo Catholicæ Eccleſiæ præeſſe Nos voluit, viribus deficiamus, ſed veniat in Nos Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Conſilii, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis, quo timidæ cogitationes, & incertæ providentiæ noſtræ roborentur, ut ea & inveſtigemus, & dignoſcamus, quibus per omnia Divinæ complacentes bonitati, eidem in omnibus conformemur.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 18. Aprilis 1701.

ARGUMENTUM.

Audax facinus Friderici Marchionis Brandeburgenſis, qui nomen, & inſignia Regis Pruſſiæ, inſciâ Sede Apoſtolicâ, ſibi arrogaverat, improbat, ac damnat, ſimulque palàm facit ſe monuiſſe Catholicos Principes, ne præſumptos à dicto Marchione honores ullo officii genere illi tribuant.

VENERABILES FRATRES.

III.

Nnotuit Nobis dudum, imò & terrarum ubique jam fama percrebuit Fridericum Marchionem Brandeburgenſem nomen, & inſignia Regis Pruſſiæ, profano prorsùs, ac fortè inaudito hactenùs apud Chriſtianos more, omni Eccleſiæ Dei authoritate contemptâ, nec ſinè gravi antiqui juris, quod in ea Provincia Sacro, & Militari Teuthonicorum Ordini competit, violatione ſibi publicè arrogaſſe; illorumque proinde numero ſe nimis incautè junxiſſe, quos increpat ſimul, & reprobat ſermo ille Divinus: ipſi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi. Hoc ſanè factum quantum Apo-

ſto-

ſtolicæ Sedi injurioſum, quantum Sacris Canonibus, quibus hæreticum Principem antiquis potius cadere, quàm novis augeri honoribus conſtitutum eſt, adverſum fuerit, egregiæ pietati, ac perſpecto zelo veſtro explicare ſupervacaneum ducimus; Scire tamen Vos volumus Nos illud minimè diſſimulaſſe, quinimò, ut muneri noſtro, quantum in Nobis erat, hac in re ſatisfaceremus, audax, & irreligioſum ejuſmodi facinus datis ad Catholicos Principes literis apertè damnaſſe, ſimulque illos ſeriò admonuiſſe, ne præſumptos à præfato Marchione honores ullo officii genere approbantes, venerabilem, ſacramque Regiam Dignitatem, quæ ut Dei ſingulare munus agnoſci, veræque columen Religionis, atque ornamentum eſſe debet, in Acatholico Principe vileſcere patiantur. Hæc habuimus, VENERABILES FRATRES, quæ Vobis hodie ſignificaremus, ut & conſiliorum noſtrorum participes ſitis, & Nos in tuenda pro viribus Orthodoxæ Fidei, & hujus Sanctæ Sedis dignitate vigiles, atque conſtantes, adjuvante Domino, eſſe velle intelligatis.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 8. Auguſti 1701.

ARGUMENTUM.

Suum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum deputat D. Cardinalem Archintum ad Sabaudiæ Principiſſam, Philippi V. Hiſpaniarum Regis Catholici Sponſam, brevi ex Italia diſceſſuram.

VENERABILES FRATRES.

IV. Ro eâ, qua Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum in Domino proſequimur, charitate ad Regiam illius Sponſam Sabaudiæ Principiſſam propediem, ut accepimus, ex Italia, benedicente Domino, diſceſſuram Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum morem ſecuti, Noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum deputare intendimus dilectum filium noſtrum Joſephum S.R.E. Presbyterum Cardinalem Archintum, qui novæ Reginæ Apoſtolicam Noſtram benedictionem deferat, Regale connubium gratuletur, fauſtumque, ac felix in Hiſpaniam iter, nec non lætam, & copioſam ſobolem, cujuslibet Conjugum virtute,

pie-

pietate, & Religione dignam, ex intimo noſtri Cordis affectu apprecetur, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Fidei Catholicæ incrementum, Chriſtianæque Reipublicæ quietem, & pacem. Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra

Supradictum Joſephum Cardinalem Archintum, Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum deputamus, & declaramus ad præmiſſa peragenda.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 3. Octobris 1701.

ARGUMENTUM.

Obitum Jacobi Secundi Magnæ Britanniæ Regis DD. Cardinalibus significat, ejusque laudes, & quæ pro Orthodoxa Religione subierat, damna honorificâ commemoratione prosequitur.

VENERABILES FRATRES.



V. Cerbissimum, ac verè luctuosum cla. me. Jacobi Magnæ Britanniæ Regis obitum, quem sinè maximo paterni cordis nostri mœrore audire non potuimus, suspiria inter, & lacrymas Vobis nunciamus, nec sanè ullum Nobis dubium esse potest, quin animos æquè vestros ingenti dolore affecerit gravissima hæc Christianæ Reipublicæ jactura, quam in amisso verè Catholico Principe, verè Ecclesiæ Filio, verè Fidei Defensore, impensissimè deflemus. Verùm quia juxta monitum Apostoli contristari de dormientibus non debemus, sicut & cæteri, qui spem non habent: jubet Nos præclara defuncti Regis pietas, quam nulla umquam ætas delebit, nulla seræ posteritatis

ex-

extinguet oblivio, jubet heroicus illius rerum omnium humanarum pro religione contemptus, quippe cui Rex optimus Patriam, opes, Regnum, & Vitam ipſam poſthabere non dubitavit, jubet demum mors ab eo piiſſimè, ac conſtanti animo obita juſtè Nos ſperare debere Religioſiſſimum Principem à Deo Optimo Maximo, ſicut dum viveret, tanquam aurum in fornace probatum, ita poſt mortem, quaſi holocauſti hoſtiam, acceptum eſſe. Noſtras nihilominus pro Anima Regis de hac Apoſtolica Sede optimè meriti ad Deum preces, atque ſuffragia deeſſe charitatis ratio non patitur. Id & privatim hactenus Nos ipſi agere non omiſimus, & publicis quoque in Pontificio noſtro Sacello exequiis, Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplo, ſuo tempore præſtituri ſumus. Cæterum eximiam, & Regio planè ejus animo dignam Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſſimi virtutem hac occaſione ſilere non poſſumus, qui quemadmodum olim eumdem Jacobum Regem è Regno nefariè deturbatum cum Regia Conjuge, & Nato magnificè, & liberaliſſimè exceperat, ita ei ſemper omnibus benevolentiæ, & humanitatis officiis uſque ad extremum adſtitit, & quod illuſtrius eſt, ſuperſtitem illius Filium à Chariſſima in Chriſto Filia noſtra Maria Regina ejus Matre in paternarum virtutum æmulationem educatum benignè complexus, uti verum Britannici Regni hæredem, difficillimo hoc tempore, omni prorſus proprii commodi ratione neglecta, palàm agnovit, eumque in Catholicæ fidei, quacumque demum adveniente fortunâ, fortiter aſſerendæ propoſito egregiè confirmavit. Qua ſanè in re cùm ipſius Chriſtianiſſimi Regis zelus, & animi magnitudo mirificè eluceant, Noſtræ, & omnium Veſtrum laudes ei meritò debentur, quas quidem uberrimas poſteri omnes illi reddent, dum præclari facti memoriam recolent numquam interituram. Hæc etſi

Vobis, vel ipſo rumore publico nunciante, innotuiſſe jam credimus, nuperrimè tamen ad Nos per celerem Curſorem à Venerabili Fratre Philippo Antonio Archiepiſcopo Athenarum, noſtro, & hujus Apoſtolicæ Sedis apud eumdem Chriſtianiſſimum Regem Nuncio, qui omnia cognovit, & vidit, fideliter allata, confeſtim ex hoc loco referre æquum, & opportunum duximus, ut ſcribantur in generatione altera, novumque hinc paternæ Noſtræ erga Vos charitatis argumentum accedat, VENERABILES FRATRES, quorum fortibus humeris, piiſque votis impoſitum infirmitati noſtræ onus, quod his afflictis, turbidiſque temporibus gravius ſemper in dies experimur, levatum iri confidimus.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 21. Novembris 1701.

ARGUMENTUM.

Propoſitis, quæ Italiæ, Europæ, & Eccleſiæ impendebant, graviſſimis malis ob exortum inter Imperatorem, & duos Reges de Hiſpanica ſucceſſione atrox bellum, ac paternis commemoratis officiis ad illud amoliendum fruſtrà adhibitis, DD. Cardinalibus conſilium aperit, quod ſuſceperat, mittendi Nuncios extraordinarios ad eoſdem Catholicos Principes, ut eos ad Chriſtianam Concordiam, & Pacem revocare pro viribus ſtudeat, ac publicæ tranquillitati proſpiciat.

VENERABILES FRATRES.

EX quo ſupremum hoc Catholicæ Eccleſiæ culmen non minus inviti, quàm immerentes, Deo ſic jubente, conſcendimus, multiplices, eaſque graviſſimas Chriſtianæ Reipublicæ calamitates, majoraque in dies Italiæ, Europæ, ac Eccleſiæ ipſi impendentia mala Paterno nobiſcum animo reputantes, primò quidem ex intimo cordis ingemuimus, charitate magiſtrâ edocti flere cum flentibus; ſed eo tum indè loco poſitos Nos eſſe contemplati, quo non deplorare iſta ſufficiat, niſi & emendare VI.

pro

pro viribus ſtudeamus, ab ipſo ineuntis Pontificatus noſtri limine, qua fuſis privatim, qua publicè indictis precibus apud Deum, adhibitis etiam, atque opportunè, & importunè congeminatis hortationibus, & officiis imminentis inter Catholicos Principes atrociſſimi belli perniciem amoliri curavimus : memores ſanè Illius Nos vices gerere in terris, qui naſcens ex Virgine per cœlicos Cives pacem hominibus bonæ voluntatis annunciavit, ac reſurgens ex mortuis, & aſcenſurus in Cœlum pacem itidem ſuis reliquit Diſcipulis, ut & ipſi ejus imitantes exemplum pacem aliis edicerent. Cùm verò annum jam ferè præteriiſſe cernamus, nec tamen adhuc paternas voces, quibus pacem ubique clamavimus, exaudiri, neque Pontificias curas in idipſum hactenus impenſas noſcamus aliquid profeciſſe; quinimò proximos armorum ſtrepitus quotidie creſcentes auribus penè noſtris audiamus, ac, quod deterius eſt, Hæreticorum Vires Catholicorum diſſidiis proficientes magis invaleſcere, non ſine maximo Orthodoxæ Religionis periculo, conſpiciamus, ne publicæ Cauſæ pro paſtorali munere noſtro, inter præſentium malorum ſenſum, & metum futurorum, deeſſe ullatenus videamur, Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes per extraordinarios Noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios ad Chariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Leopoldum Romanorum Regem in Imperatorem electum, alioſque duos Reges quantocitiùs tranſmittendos, publicæ tranquillitatis negotium hoc præſertim tempore, quod hybernis imminentibus armorum tractationi minus opportunum videtur, majori, qua poſſumus, animi contentione urgere decrevimus, parati ſtudium omne, laborem, & diligentiam impendere, ac Noſmetipſos quoque, ſi opus fuerit, exemplo boni Paſtoris, qui animam ſuam dat pro ovibus ſuis, ſuperimpendere, ut Catholicos Principes ad veram, Chriſtianoque nomine

di-

dignam charitatem, atque concordiam revocemus. Hæc Vos ſcire voluimus, VENERABILES FRATRES, ut conatus, & ſolicitudines noſtras rei non minus arduæ, quàm ſalutari intentas, operâ, conſiliiſque Veſtris, quibus libentiſſimè utimur, in primis verò enixis apud Patrem miſericordiarum precibus, proximis potiſſimùm Dominici Adventus diebus, qui ſicuti Nos ad impenſiùs orandum, ita Divinam clementiam ad liberaliùs indulgendum invitant, juvare poſſitis.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 5. Decembris 1701.

ARGUMENTUM.

Christianæ Religionis ſtatu in Sinarum, & aliis finitimis Indiarum Orientalium Regnis expoſito, exortiſque nuper inter Miſſionarios Apoſtolicos illarum partium diſſidiis commemoratis, DD. Cardinalibus proponit ſuſceptum à Sanctitate Sua conſilium mittendi ad eas Regiones Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate Legati de Latere, congruo Miſſionariorum comitatu honeſtatum. Mox ad id Miniſterium eligit Carolum Thomam Maillard de Tournon Taurinenſem, Pontificium Cubicularium honoris nuncupatum; quem demum Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcham conſtituit.

VENERABILES FRATRES.

VII.

Peculatores Domus Iſrael, ſuper Cathedram Principis Apoſtolorum, inſcrutabili Divinæ Providentiæ arcano conſtituti, non modò graviſſimâ Eccleſiarum omnium ſolicitudine premimur, ſed ad univerſam, quæ ſub Cœlo eſt, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione gentium multitudinem mentis noſtræ oculos jugiter circumferimus. Quantum ſiquidem in Nobis eſt, à Solis ortu uſque ad occaſum laudari nomen Domini ſummoperè cupimus, adeôque etiam ad remotiſſimas

ab hac Sanctâ ſede Regiones Paſtoralis vigilantiæ noſtræ curam extendimus, ut ibidem Chriſtiana Religio quotidianâ Infidelium acceſſione latiùs propagetur, & quò recèns inducta fuit, magis in dies, benedicente Domino, ſtabiliatur. Paternum tamen præ cæteris animum pulſat, ſtudiumque noſtrum excitat, & impellit ampliſſimum Sinarum Imperium, in quo ſtrenuâ Euangelicorum Miniſtrorum opera à multis jam annis Chriſtus annunciatur, & colitur, majoreſque inde fructus (Deo incrementum dante) expectari meritò poſſunt. Verùm quia in latiſſimis illis regionibus, quæ albæ ſunt jam ad meſſem, inimicus homo ab aliquot annis multipliciter zizania ſuperſeminare non ceſſat, nè Chriſtianæ fidei ſeges, quæ, ut audivimus, ab ethnicis illarum partium poteſtatibus creſcere ſinitur, Ejus profectò ope, qui olim ſuſcitavit ſpiritum Cyri Regis Perſarum, ut juberet prædicari in univerſo Regno ſuo etiam per Scripturam, Apoſtolicorum Miſſionariorum, quod maximè deflendum eſſet, in diverſa tendentium diſſidiis, veluti ſpinis, ſuffocetur, & pereat; utque inſimul pluribus, variiſque vaſtiſſimæ illius Miſſionis neceſſitatibus proſpiciatur, ejuſdemque ſtatus, ac in ea laborantium Operariorum ſtudia huic Sanctæ Sedi fideliter innoteſcant; Divino priùs per Nos diuturnis, atque accuratis precibus implorato præſidio, ut mentem noſtram lumine ſuæ claritatis inſtrueret, habitâque ſuper præmiſſis cum quibuſdam ex Fraternitatibus Veſtris, nempe cum particulari Congregatione Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum deliberatione maturâ, Virum aliquem morum integritate, doctrina, atque prudentia commendatum, Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate Legati de Latere ad præfatum Sinarum, aliaque finitima Indiarum Orientalium Regna unà cum congruo Miſſionariorum comitatu in nomine Domini mittere conſtituimus. Quò verò is majori cum honorificentia ad Dei glo-

riam, animarumque pretioſiſſimo Unigeniti Dei Filii Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine redemptarum ſalutem, tanto fungi valeat miniſterio, Patriarchali eum titulo Antiochenæ Eccleſiæ de præſenti vacantis decorare intendimus; opportunum ſcilicet ducimus, ut qui ad novos Chriſtifideles mittendus eſt, ejus potiſſimum Civitatis Paſtor exiſtat, ubi, ut in Apoſtolorum actibus habemus, primùm cognominati ſunt diſcipuli Chriſtiani.

Vacat igitur Eccleſia Patriarchalis Antiochena per obitum Michaelis Angeli Matthæi ultimi illius Patriarchæ.

Antiochena Civitas inter Regias Syriæ Urbes primaria, dignitate non minùs, quàm magnitudine celeberrima, nunc penè inhabitata ſub Turcarum Tyrannide reperitur; ideò illius ſtatum defleri magis, quàm enarrari congruum eſt.

Eidem Eccleſiæ Patriarchali præficere intendimus eum, quem, ut diximus, uti Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate etiam Legati de Latere ad Sinarum, aliaque Indiarum Orientalium Regna mittere decrevimus, videlicet dilectum Filium Carolum Thomam Maillard de Tournon ex Catholicis, & nobilibus parentibus in Civitate Taurinenſi ortum, Juris utriuſque Doctorem, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, in ſacro Presbyteratus Ordine à pluribus annis conſtitutum, ac Cubicularium noſtrum honoris nuncupatum, virum ſanè, quemadmodum etiam familiari experientiâ novimus, pietate, doctrinâ, & prudentiâ longè præſtantem. Quid Vobis videtur?

Authoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ,

Providemus Eccleſiæ Patriarchali Antiochenæ de perſona præfati Caroli Thomæ, præficientes eum in Patriarcham, & Paſtorem, cum retentione omnium, & quorumcumque, quæ obtinet.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 8. Maji 1702.

A R G U M E N T U M.

Deputat D. Cardinalem Carolum Barberinum ſuum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum ad Philippum V. Hiſpaniarum Regem Catholicum, Neapoli commorantem.

VENERABILES FRATRES.

VIII. UM, ſicuti noſtis, Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus nuperrimè ab Hiſpaniis in Italiam tranſmiſerit, Nos, ne opportunitatem hanc eidem in tanta Urbis vicinitate verſanti, quæ, & quanta ſit paterna noſtra erga eum charitas, declarandi præterlabi patiamur, Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplis ducti, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum Dilectum Filium Noſtrum Carolum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Barberinum, cui præter domeſtica gentis ſuæ in eamdem Sedem merita, prudentia, integritas, doctrina, animi magnitudo, aliæque eximiæ virtutes ad ampliſſimum hoc munus gerendum egregiè ſuffragantur, ad prædictum Philippum Regem depu-

tare intendimus, ut Apoſtolicam Noſtram Benedictionem illi deferat, incolumem in Italiam adventum gratuletur, noſtraque illi explicet vota, ut hic idem ejus adventus in exoptatæ publicæ tranquillitatis cedat auſpicium.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra,

Supradictum Carolum Cardinalem Barberinum noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum deputamus, & declaramus ad præmiſſa peragenda cum facultatibus, & clauſulis ſolitis, & opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO PUBLICO

Habito die 20. Julii 1702.

ARGUMENTUM.

Excepit benignè D. Cardinalem Carolum Barberinum ab Apoſtolica Legatione, de qua proximè, reducem; qui Sanctitatem Suam his verbis allocutus fuit.

BEATISSIME PATER.

Erfunctus munere, quod SANCTITAS VESTRA eximiâ in me Clementiâ, immerenti licet, imponere dignata eſt; Siſtor Sanctiſſimis Pedibus tuis, quibus, qua par eſt, demiſſione advolutus, quod unum profiteri veriſſimè poſſum, hoc eſt Sacroſanctam Apoſtolicam Dexteram tuam ſuſcepiſſe me, ac in virtute ſua deduxiſſe me, eandemque cum gaudio reduxiſſe me; adeò ut exploratum planè ſit votorum tuorum pretium extitiſſe, obedientiæ meæ in exequendis mandatis tuis complementum.

Quæ autem, SANCTISSIME PATER, Catholico Hiſpaniarum Regi Philippo V. de tenerrimi amoris tui, paternæque Benevolentiæ, ac intimæ Pontificiæ charitatis ſenſu expoſui, longè minora fuerunt eloquio tuo præ exilitate ſermonis mei.

Quæ verò repoſuit Rex pietate, ac zelo præclarus de ſuâ

filia-

filiali devotione, parataque obedientia in Sanctitatem Veſtram, ac in Sanctam Sedem Apoſtolicam, quos ambos Parentes ſuos amantiſſimos iteratò compellavit, ſignanter dum exciperet auream Domini Crucem, gemmis terrenis, atque cœleſtibus pretioſiſſimè ditatam, ipſique à SANCTITATE VESTRA dono miſſam, hæc, inquam, majora profectò ſunt, quàm ego verbis ullis valeam explicare. Reliquum eſt, ut meum eſſe dignoſcam, in quibus aut defecerim, aut defuerim, veniam humillimè, ac obnixè deprecari. Tuum deindè fuerit, BEATISSIME PATER, ingenti, qua unicè polles, animi magnitudine, benigniſſimè ignoviſſe, ac Apoſtolica largitate condonaſſe.

Ad hæc Sanctitas Sua ita reſpondit:

IX. INjunctum tibi munus, Dilecte Fili Noſter, tam præclarè geſſiſti, votiſque, ac expectationi de te noſtris tam cumulatè, ac prorſus ex hujus Sanctæ Sedis dignitate reſpondiſti, ut meritò tibi nunc à peracta Legatione feliciter redeunti Pontificiæ laudes, Collegarum plauſus, ac univerſæ planè Urbis gratulationes debeantur. Ceterum quæ de eximia Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici pietate, filialique in nos, & Apoſtolicam Sedem obſervantia retuliſti, tametſi Nobis plurimorum literis, & ſermone, imò etiam fama ipſa nunciante, jampridem innotuerint, à te tamen hoc loco commemorari libenter audivimus; hinc ſiquidem omnium, quotquot hîc adſunt, preces excitari confidimus ad divinam bonitatem exorandam, ut cor Regis in dies roboret ad ea peragenda, quæ Chriſtianæ Reipublicæ, ac Catholicæ Eccleſiæ læta eſſe poſſunt, & ſalutaria; inter quæ illud ſanè præcipuum eſſe omnes intelligunt, ut tam Ipſe, quàm reliqui Chriſtiani Principes, translatis in infidelium terras iiſdemmet, quibus inter ſe digladiantur, armis, non alia in poſterum, quàm bella Domini, prælientur.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 15. Januarii 1703.

ARGUMENTUM.

Concuſſa ingenti terræmotu proximâ nocte, ac magnoperè deterritâ Urbe, DD. Cardinales admonet recentem hanc calamitatem perſpicuum eſſe cœleſtis iræ peccatis hominum laceſſitæ argumentum, eoſque ad illa edenda veræ pœnitentiæ, & Chriſtianæ pietatis exempla, quibus Divina Miſericordia concilietur, accendit.

VENERABILES FRATRES:

Ræteritâ nocte, ut probè noſtis, dedit Dominus metuentibus ſe ſignificationem ut fugiant à facie arcus. Commovit terram, & conturbavit eam: ſanavit contritiones ejus, quia commota eſt: Iratus eſt, & miſertus eſt nobis. Sunt hæc profectò miſerentis Dei monita, qui oſtendit populo ſuo dura, ut potaret nos vino compunctionis; ſunt Patris amantiſſimi voces, quas Nos, uti filios obſequentiſſimos, auſcultare convenit, ne aliàs inter tot, quibus circumdamur, obſtrepentium malorum pericula miſerè indormientes, exprobrari Nobis audiamus propheticum illud: percuſſiſti, eos, & non doluerunt, attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Fecerunt peccata noſtra, X.

ut

ut in ea propemodum luctuoſa tempora incidiſſe videamur, de quibus Salvator noſter prædixit: *Surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnum, & erunt terræmotus per loca*. Quod tamen, Chriſti Domini verbis utentes, non ſine lacrymis dicimus: *hæc omnia initia ſunt dolorum*. Adeamus igitur, nullâ interpoſitâ morâ, ad thronum gratiæ, & depoſito per veram pœnitentiam peccatorum pondere, obſecrationibus, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque pietatis operibus, Divinam Nobis miſericordiam conciliemus, & Domino, cujus dies propè eſt, corda noſtra præparemus. Hæc autem ut ferventiori charitate, uberiorique fructu fiant, cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem Nobis credidit Altiſſimus, quantocitiùs proferre, & liberali manu erogare non omittemus. Interim iis omnibus, qui mox Deo dante, ad glorioſum, & nunquam deſiturum Beatorum Apoſtolorum Urbis noſtræ Patronorum Sepulchrum Nobiſcum accedent, ac noſtris opportunam neceſſitatibus opem, quam Nos privato noſtro Sacrificio ibidem hac ipsâ die humiliter invocavimus, conjunctis precibus implorabunt, triginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Agite ergo, VENERABILES FRATRES, quippe qui ſtatuti eſtis cuſtodes ſuper muros Jeruſalem, noctu, atque interdiu clamate, ac iram Domini flagitiis hominum provocatam placare contendite. Exinanite calicem furoris, & ruinæ, calicem doloris, & tribulationis. Arripite thuribulum, hoc eſt, preces Sanctorum, & medii inter ignem, & arſurum populum conſiſtite. Ponite ob oculos inſtitutum, quod profitemini, perſonam, quam ſuſtinetis, ſacram, & Chriſti Sanguine rubentem purpuram, quam induiſtis. Sint pedes veſtri pedes euangelizantium pacem, ut ita conterantur arcus, & ſagittæ, atque imperet Deus ventis, & faciat tranquillitatem.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 19. Februarii 1703.

ARGUMENTUM.

Concuſſa iterum vehementiori terræmotu Urbe in Feſto Purificationis B. V., quo tempore Pontifex cum DD. Cardinalibus in Sixtino Sacello Sacris operabatur, Sanctitas Sua honorificè primùm commemorat Chriſtianæ pietatis exempla, quæ tum DD. Cardinales, tum populus univerſus, ediderant ad avertendum atrox Divinæ iracundiæ flagellum. Indicit ſubindè Cappellam ſolemni ritu celebrandam in Baſilica Vaticana die 22. præfati Menſis Februarii pro agendis Deo gratiis ob præſervationem Urbis à periculo ejuſdem nuperi terræmotus, nec non ad Divinam opem in poſterum implorandam. Denique pervigilium Feſti Purificationis B. V. deinceps Romæ quotannis cum jejunio ſervari, ac in eodem Feſto poſt ſolemne Sacrum, quod in Pontificia Cappella de more peragitur, hymnum Te Deum laudamus *perpetuò decantari decernit.*

QUantas miſericordias noviſſimis hiſce diebus nobiſcum fecerit Dominus optimè noſtis, VENERABILES FRATRES, quippe qui tot, tantiſque Chriſtianæ pietatis exemplis fideli populo præeuntes, Divinæ iracundiæ terrores in noſtrorum medelam vulnerum convertiſtis. Cognoviſtis profectò tempus viſitationis veſtræ, cognovit & populus, dum eâdem propemodum Dei voce, qua fundamenta montium XI.

conturbata ſunt, & commota ſunt, ad ſalutarem pœnitentiam vocatus verè expertus eſt, illuxiſſe coruſcationes Domini Orbi terræ, dum commota eſt, & contremuit terra. Patri igitur miſericordiarum, à quo tanta hæc nobis bona effluxere, ſacrificandum eſt ſacrificium laudis, ut, quos meritò caſtigare minatus eſt errantes, foveat ſua miſeratione correctos. Ad eamdem proinde aram, ad quam publicis indictis ſupplicationibus primò confugimus, pro acceptis beneficiis gratias acturi, iterum redire conſtituimus; proximam idcircò Feſtivitatem Antiochenæ Cathedræ B. Petri Apoſtolorum Principis, quæ erit feria quinta poſt Cineres, in ejus Baſilica cum ſolemni Miſſâ Vobiſcum celebrabimus, ipſius Apoſtolorum Principis patrocinio confiſi, ut nullis de cætero permittat Nos Dominus perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidavit. Prætereà, ut in memoria æterna ſit dies, qua cogitantem Dominum diſſipare murum filiæ Sion, impavida precum veſtrarum humilitate placaſtis, ſingulis annis in Feſto Purificationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ abſoluto Sacro, quod ea die in Pontificia Cappella de more peragitur, hymnum *Te Deum laudamus* perpetuò decantari, ipſiuſque Feſti pervigilium in ejuſdem Deiparæ obſequium cum jejunio, Dilectis Filiis Senatu, Populoque Romano id ipſum quàm enixè expetentibus, perpetuò itidem in hac Almâ Urbe noſtra ſervari omninò volumus, ac præcipimus. Reliquum eſt, VENERABILES FRATRES, ut quæ tam grandia Nobis contulit dona Divina dignatio, conſtanti, quæ Dei Miniſtros maximè decet, Chriſtianarum virtutum exercitatione perennia reddamus.

IN



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 17. Decembris 1703.

ARGUMENTUM.

Creat S. R. E. Presbyterum Cardinalem Franciſcum Pignatellum Archiepiſcopum Neapolitanum.

VENERABILES FRATRES.

RECurrunt dies Orationi, ac jejunio conſecrati. Ideò juxta priſcum Majorum noſtrorum morem ad gloriam Omnipotentis Dei, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ præſidium, ac decus, creare intendimus unum Presbyterum Cardinalem, videlicet Venerabilem Fratrem Franciſcum Archiepiſcopum Neapolitanum; æquum enim cenſemus, ut Prædeceſſoris noſtri, qui carnem, & ſanguinem reſpicere conſtantiſſimè uſque ad obitum recuſavit, meritiſſimus Agnatus, non minùs hoc nomine, quàm ob egre- XII.

gias ſuas, & ſacro Antiſtite dignas virtutes commendatus Pontificiæ noſtræ largitatis primitias experiatur.

Quid vobis videtur?

Authoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ, creamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Franciſcum Pignatellum Archiepiſcopum Neapolitanum, cum clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 18. Maji 1705.

ARGUMENTUM.

Leopoldi I. Romanorum Regis in Imperatorem electi obitum DD. Cardinalibus denunciat, ejuſque virtutes honorificâ laudatione commemorat.

VENERABILES FRATRES.



Llatum ad Nos heſternâ die triſtiſſimum nuncium de obitu cla. me. Leopoldi Romanorum Regis in Imperatorem electi, non ſine maximo paterni cordis noſtri mœrore, Vobis hodie communicare volentes, iiſdem planè verbis utemur, quibus Beatus olim Ambroſius ſuam in Theodoſii Imperatoris funere exorſus eſt laudationem: *Hoc nobis* (inquit ille) *hoc nobis motus terrarum graves minabantur, quod clementiſſimus Imperator receſſurus eſſet è terris.* Eam itaque Chriſtianæ Reipublicæ jacturam, quam nuper nutante ſolo natura ipſa præſenſerat, dolenti quidem, & amaro animo, nullâ tamen interpoſitâ morâ, nimirum ſtatim, ac illam per celerem Curſorem acce- XIII.

pi-

pimus, Vobis ſimiliter denunciamus, non tam ut de tanti Principis morte nobiſcum impensè doleatis, quàm ut ipſius Animam precibus, aliiſque Eccleſiæ ſuffragiis celeriùs juvare poſſitis. Quamvis enim eximia ejus in Deum pietas, in homines comitas, atque clementia, ceteræque illius egregiæ virtutes, animique potiſſimùm & in proſperis moderatio, & in adverſis mira planè conſtantia, ſperare Nos faciant eum è terreno ad cœleſte Regnum, quò omnes Chriſtiani tendimus, miſerante Domino, fuiſſe translatum; nihilominùs quoniam, qui aliis præſumus, aliis duriùs, (quod trementes dicimus) judicandos Nos eſſe, ſacris admonentibus literis, dubitare nequaquam poſſumus; ideò & ratione ducimur, & debito Chriſtianæ charitatis urgemur, ut ſacrificiis, orationibus, & obſecrationibus defuncti Principis Animæ ſolatium comparemus. Id porrò & privatim Nos ipſi jam agere cœpimus, Voſque unà Nobiſcum proſequi optamus; hoc ipſum publicis ſuo tempore in Pontificio noſtro Sacello Exequiis, poſtquam ſcilicet debitæ, ac conſuetæ erga hanc Sanctam Sedem obſequii ſignificationes ad Nos perlatæ fuerint, ſtatâ die Vobis indicendâ, juxta Prædeceſſorum noſtrorum morem, ſolemni ritu præſtare non omittemus.



IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 17. Maji 1706.

ARGUMENTUM.

Creat viginti S. R. E. Cardinales, ex quibus novendecim evulgat, unum verò in pectore reſervat, arbitrio ſuo quandocumque declarandum.

VENERABILES FRATRES:



Poſtulat Roma, poſtulat Curia, poſtulat Eccleſia, ut imminutum jam valde Fraternitatum Veſtrarum numerum augeamus. Hinc Chriſti Domini exemplo moniti, qui antequam è Diſcipulis ſuis eligeret Apoſtolos, *exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei*, illiuſque potiſſimùm temporis opportunitatem nacti, quo iidem Apoſtoli poſt Chriſti Domini conſcenſum in Cœlos, mox adventuro Spiritu veritatis replendi, erant omnes unanimiter in oratione perſeverantes: enixis tam noſtris, quàm aliorum precibus Patrem miſericordiarum exoravimus, ut Nobis divinæ ſuæ gratiæ lumine adeſſet, quo tales ad ſublime hoc in Eccleſiâ Dei munus deligeremus, qui XIV.

exi-

eximiam pietatem, ac zelum Veſtrum æmulantes, graviſſimum infirmitati noſtræ impoſitum onus levare, ac Paſtoralem ſolicitudinem noſtram opere, & conſilio juvare non prætermitterent. Hac igitur, quam tam ferventer imploravimus, cœleſti ope confiſi, ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ decus, & utilitatem, creare intendimus eos omnes, nempe viginti, qui ad ſeptuagenarium Veſtrum numerum complendum in præſens deſunt, Cardinales, & ex his novendecim nunc evulgare, videlicet.

Franciſcum Martellum Patriarcham Hieroſolymitanum.

Joannem Badoero Patriarcham Venetiarum.

Laurentium Caſonum Archiepiſcopum Cæſareæ.

Laurentium Corſinum Archiepiſcopum Nicomediæ.

Laurentium de Fliſco Archiepiſcopum Januenſem.

Franciſcum de Aquaviva Archiepiſcopum Lariſſenſem.

Thomam Ruffum Archiepiſcopum Niceæ Cubiculi noſtri Præfectum.

Horatium Philippum Archiepiſcopum Spadam Epiſcopum Lucanum.

Philippum Antonium Archiepiſcopum Gualterium Epiſcopum Imolenſem.

Chriſtianum Auguſtum è Ducibus Saxoniæ Epiſcopum Jaurinenſem.

Raynutium Pallavicinum Almæ Urbis noſtræ Gubernatorem.

Carolum Columnam Protonotarium Apoſtolicum, & Palatii noſtri Apoſtolici Præfectum.

Jo: Dominicum Paraccianum Protonotarium ſimiliter Apoſtolicum, & Auditorem noſtrum.

Alexandrum Caprara, &

Joſephum de la Tremoille Rotæ Romanæ Auditores.

Petrum Priolum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericum, ac fel.

rec.

rec. Alexandri PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri Pronepotem, cujus memoriæ notum omnibus eſt quantum debeamus.

Nicolaum Grimaldum Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Secretarium.

Carolum Auguſtinum Fabronum Congregationis de Propaganda Fide Secretarium.

Gabrielem Philippuccium Signaturæ Juſtitiæ Votantem.

Unum in pectore reſervare intendimus, arbitrio noſtro quandocumque evulgandum.

Quid vobis videtur?

Authoritate Omnipotentis Dei, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ, creamus S. R. E. Presbyteros, & reſpectivè Diaconos Cardinales

Franciſcum Martellum Patriarcham Hieroſolymitanum.

Joannem Badoero Patriarcham Venetiarum.

Laurentium Caſonum Archiepiſcopum Cæſareæ.

Laurentium Corſinum Archiepiſcopum Nicomediæ.

Laurentium de Fliſco Archiepiſcopum Januenſem.

Franciſcum de Aquaviva Archiepiſcopum Lariſſenſem.

Thomam Ruffum Archiepiſcopum Niceæ.

Horatium Philippum Archiepiſcopum Spadam Epiſcopum Lucanum.

Philippum Antonium Archiepiſcopum Gualterium Epiſcopum Imolenſem.

Chriſtianum Auguſtum è Ducibus Saxoniæ Epiſcopum Jaurinenſem.

Raynutium Pallavicinum.

Carolum Columnam.

Jo: Dominicum Paraccianum.

Alexandrum Caprara.

Joſephum de la Tremoille.

Petrum Priolum.

Nicolaum Grimaldum.

Carolum Auguſtinum Fabronum.

Gabrielem Philippuccium.

Cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis. Unum in pectore reſervamus arbitrio noſtro quandocumque declarandum.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 7. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Cardinalatus recuſationem à R. P. D. Gabriele Philipuccio rite factam admittit, & in ejus locum S. R. E. Presbyterum Cardinalem creat Reverendiſſimum D. Michaelem Angelum de Comitibus Archiepiſcopum Tarſenſem.

VENERABILES FRATRES.

Inter eos, quos in præterito Conſiſtorio, de unanimi Fraternitatum Veſtrarum conſilio pariter, & aſſenſu, Cardinales creavimus, fuit, ſicuti noſtis, dilectus Filius Gabriel Philippuccius Signaturæ Juſtitiæ votans. Curaverat is quidem priùs Nobis non obſcurè indicari animum ſuum à tantæ Dignitatis, quam ſibi deferendam audierat, fulgore refugientem; ſed, ut verum ingenuè fateamur, Chriſtiana hæc, & rara Viri humilitas potius Nos in ſuſcepto conſilio magis confirmavit. Clariùs ille poſtmodum, ac diſertiùs ſenſus ſuos aperuit ſupplici libello Nobis in eodem Conſiſtorio per Dilectum filium Noſtrum Galeatium Cardinalem Mareſcottum porrecto, cujus tenorem tunc audiviſtis, & hodie iterum audietis. Noluimus XV.

hac in re quidquam tunc inconſultâ celeritate decernere: ſed ſolùm eidem Gabrieli longius tempus ad deliberandum concedere velle declaravimus, ut tam ſuis, quàm aliorum precibus divinam voluntatem accuratiùs exploraret; ſperantes profectò, tametſi à compellendo invitum verè eſſemus alieni, quod ipſe ſerius animo reputans ſe per miniſterium noſtrum à Deo vocatum fuiſſe, judicio tandem noſtro acquieſcere deberet, ac non minus amicorum lacrymis, quàm ſuaſionibus flecti. Verùm aliter omninò res accidit; ille ſiquidem propoſiti tenax, accepto geſtæ rei nuncio, idem, quod antea, conſtantiſſimè ſemper ſenſit, idem, quod antea, demiſſiſſimè ſemper precatus fuit. Nullum intereà Nos, adhibitâ ad id ſpectatæ pietatis, & prudentiæ Virorum operâ, hortationis genus omiſimus, quo optimum Senem de ſuſceptâ ſententiâ deduceremus, ac rationes, quibus ille cauſam ſuam orabat, rejiceremus; omnia tamen irrito conatu: nec ſolùm irrito, ſed ei inſuper gravi adeò, & moleſto, ut ipſa ejus vita in propinquum inde diſcrimen penè adducta fuerit. In hoc rerum ſtatu quid conſilii capere deberemus, à compluribus ex Fraternitatibus Veſtris, quarum fideli in ſinu Pontificiæ ſolicitudinis curas deponere conſuevimus, libentiſſimè exquiſivimus, & ſanè re maturè, ac diligenter, quemadmodum veſtri moris eſt, diſcuſsâ, nullam renuenti vim adhibendam eſſe unanimes cenſuiſtis. Interim idem Philippuccius, ne de conſtanti ejus voluntate recuſandi, refutandi, ac etiam renunciandi Cardinalatum unquam dubitari contingeret, omnia, & ſingula in ſupplici ſuperiùs enunciato libello contenta confirmando, & ampliando, uberiùs adhuc, & ſolemniùs animum ſuum hac in re declaravit, publico deſuper celebrato Inſtrumento, quod mox à Secretario Collegii veſtri legendum erit.

Perlectum ſubindè fuit à D. Secretario Sacri Collegii elata

voce

voce memoratum Inſtrumentum, cujus abſolutâ recitatione Sanctiſſimus incœptam Orationem his verbis proſecutus eſt.

His omnibus attentis, B. Gregorii Prædeceſſoris noſtri exemplum ſequentes, qui invitum neminem Epiſcopale onus ſubire Apoſtolica juſſione coegiſſe unquam reperitur: recuſationem, repudiationem, ſeu renunciationem à præfato Gabriele Philippuccio, ſicut præmittitur, factam, admittere intendimus, eidem Gabrieli forſan aliquando illud ipſum dicturi, quod prædictus B. Gregorius cuidam Sebaſtiano, qui commiſſum ſibi ab Anaſtaſio Patriarcha Eccleſiæ regimen recuſaverat, reſcripſit, videlicet: *Senſum, ac ſapientiam veſtram valdè ego libenter amplexus ſum, laudavi vehementer, & Vos felices, me infelicem eſſe deputavi, qui hoc tempore regimen Eccleſiæ ſuſcepiſſe conſenſi.* Faxit Divina Bonitas, quæ omnia ſapienter diſponit, ex humili hac ampliſſimæ Dignitatis recuſatione non minus utilitatis, & ornamenti in Eccleſiam derivari, quàm ex tot præſtantium Virorum laboribus, qui gravia ejuſdem Dignitatis onera non refugerunt.

Quid Vobis videtur?

Auditis poſtmodum ſingulorum Eminentiſſimorum Cardinalium ſententiis, qui unanimes oblatam à R. P. D. Philippuccio Cardinalatus recuſationem admittendam cenſuerunt, Sanctiſſimus Apoſtolico Decreto ſequentibus verbis concepto ejuſmodi recuſationem admiſit, & approbavit.

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ admittimus recuſationem, repudiationem, ſeu refutationem, & quatenùs opus ſit, renunciationem, ac dimiſſionem juris, quod acquiſivit, vel acquirere potuit præfatus Gabriel Philippuccius ex ejus promotione ad Cardinalatum in ſuperiori Conſiſtorio per Nos facta, ejuſque locum vacantem, ut priùs, declaramus, perinde ac ſi promotio de illius perſona facta numquam fuiſſet. Prætereà, quatenùs opus

ſit,

ſit, & ad abundantiorem cautelam, concedimus ei retentionem Canonicatus, & Præbendæ Eccleſiæ Sancti Joannis in Laterano, nec non Officii Doctoris Decretorum Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, ac penſionum omnium Eccleſiaſticarum, quas de præſenti obtinet, cum derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Deventum poſteà fuit, ut moris eſt, ad propoſitionem, & reſpectivè præconium plurium Eccleſiarum, quibus finitis Sanctiſſimus ita rurſus locutus eſt.

VENERABILES FRATRES.

XVI. LOcum Collegii Veſtri, quem admiſsâ nuper recuſatione, repudiatione, ſeu renunciatione Dilecti Filii Gabrielis Philippuccii, ut prius, vacare declaravimus, abſque ulla cunctatione implere volumus, adeôque ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præſidium, & decus creare intendimus Presbyterum Cardinalem Venerabilem Fratrem Michaelem Angelum de Comitibus Archiepiſcopum Tarſenſem. Quid Vobis videtur?

Auditis DD. Cardinalium votis promotionem antedicti Reverendiſſimi de Comitibus Archiepiſcopi Tarſenſis, apud Regem Portugalliæ Nuncii Apoſtolici ordinarii, unanimiter approbantium, eumdem Archiepiſcopum Presbyterum Cardinalem creavit, adhibitâ conſueta verborum formula, videlicet.

Auctoritate Omnipotentis Dei, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra creamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Michaelem Angelum de Comitibus Archiepiſcopum Tarſenſem cum derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 6. Decembris 1706.

ARGUMENTUM.

Rationes exponit, quibus ad promulgandum biduo ante Jubileum adductus fuerat. Subinde DD. Cardinales ad implorandam enixius à Deo inter Christianos Principes pacem excitat. Ac demum eos, ut & assidua bonorum operum, illustriumque virtutum exempla ipsi edant, & domesticorum suorum vigilem curam habeant, ac illos præcipuè, qui ordinis sunt Clericalis, urgeant ad Sanctionem de Clericalis habitus disciplinâ, quam propediem evulgare decreverat, exactè observandam adhortatur.

VENERABILES FRATRES.

XIlla die, qua mirabilia fecit Nobiscum Dominus, ac humilitatem nostram ad Catholicæ Ecclesiæ gubernacula, hoc est ad munus, & sua amplitudine graviſſimum, & temporum iniquitate, molestiarum, periculorumque pleniſſimum vocare voluit: seriò cogitantes quantum oneris, & laboris impositum fuerit imbecillitati nostræ, cujus Nobis probè conscii sumus, quantisque, & quàm gravibus Christiana Respublica malorum procellis XVII.

agi-

agitaretur, crebra ex imo corde ſuſpiria, ac uberes ex oculis lacrymas fundere coacti fuimus, ingenti ſanè pavore correpti, ne in altitudinem maris delati, ſurgentibus undique tempeſtatibus demergeremur. Quæ tamen inter graviſſimas, multipliceſque curas, quibus aſſiduè urgemur, animum noſtrum acriùs, vehementiûſque angit, ſolicitudo ea eſt, quam de fervente inter Chriſtianos Principes gravi, atrocique bello, quod florentiſſimas Europæ Provincias cædibus, ruinis, excidiis, & vaſtationibus complet, omniaque ſacra, & prophana miſcet, corde jugiter verſamus. Nullum propterea, ex quo hunc locum non minùs inviti, quàm immerentes, Deo ſic diſponente, conſcendimus, vel laborem recuſavimus, vel officii genus omiſimus, quo publicæ tranquillitatis opus omni animi contentione, ſtudio, atque operâ promoveremus: parati inſuper rem hanc non minùs arduam, quàm ſalutarem, majori conatu etiam in poſterum urgere, præſertim verò beneficio temporis, quod nunc labitur, longè opportunius negotiorum, quàm armorum tractationi. Verùm quia non hoc humanæ vires, aut terrena conſilia moliri poſſunt, ſed illius donum dumtaxat eſſe debet, *ſuper quem eſt diſciplina pacis noſtræ, qui aufert ſpiritum Principum, atque increpat mari, & obmuteſcit*; idcircò ut miſericordiam ab eo conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, laudabilia Prædeceſſorum noſtrorum veſtigia ſectantes ad veſtras, & univerſæ Eccleſiæ preces confugere, Fideliumque pietatem prolatis ad id liberali manu cœleſtium munerum theſauris excitare decrevimus. Hanc ob rem animum induximus, ut plenariam omnium peccatorum Indulgentiam in forma Jubilei concederemus omnibus Chriſtifidelibus in Alma Urbe noſtra quidem degentibus, qui ſolemni Proceſſioni, quam feriâ quinta currentis hebdomadæ à Cappella publica Palatii Noſtri Apoſtolici in Vaticano ad Baſilicam Principis Apoſtolorum, benedicente

Do-

Domino, agemus, devotè interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, ejuſdem Principis Apoſtolorum, ac S. Mariæ Majoris Eccleſias, vel earum aliquam intrà ſpatium ejuſdem, vel proximè ſubſequentis hebdomadæ viſitaverint; ibique oraverint, ac quarta, & ſexta Feriis, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata ſua confeſſi, ſacram Communionem ſumpſerint, pauperibuſque eleemoſynam, prout ſua cuilibet pietas ſuaſerit, erogaverint. Ceteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Eccleſias ab Ordinariis locorum deſignandas ſpatio ſimiliter duarum hebdomadarum viſitaverint, & alia omnia præmiſſa adimpleverint. Agite igitur, VENERABILES FRATRES, opportuno hoc, atque acceptabili Dominici Adventus tempore Deum, qui eſt multæ miſericordiæ omnibus invocantibus ſe, ſine intermiſſione obſecrate, ut *auferens bella uſque ad finem terræ, arcum conterat, & confringat arma, & ſcuta comburat igni*; in oratione, in lacrymis, in jejuniis, atque eleemoſynis ſcindite corda veſtra, atque eſtote cœleſtis iræ, & divinæ ultionis placamina. In omnibus, ut Apoſtolus admonet, & Vos, miſerante Domino, facere conſueviſtis, præbete Vos ipſos exemplum bonorum operum; ſublimemque, ac præclarum locum, quem in Catholicâ Eccleſiâ obtinetis, eximiarum virtutum ſplendore illuſtrare pergite. Enixè Vobis potiſſimùm commendamus, ut vigilem Domeſticorum veſtrorum curam habeatis, quorum aliquandò vitiis ipſa Dominorum virtus obnubilatur. Illos proinde ita regite, atque inſtruite, ut in omnibus ſuis actibus nil, niſi grave, moderatum, ac Religione plenum præſeferant; ab iis porrò, quos ex illis in ſortem Domini vocatos eſſe contigerit, exactè adeò, ac fideliter Sanctionem illam, quam pro veteri Clericalis habitus diſciplinâ inſtauranda, ac abuſibus, qui hac in re deplorandum in modum irrepſerunt, tollendis propediem evulgari curabimus, obſervari ſtudete; *ut*

per decentiam habitus extrinſeci, (Concilii Tridentini verbis loquimur) *morum honeſtatem intrinſecam oſtendant, aliiſque exemplo eſſe poſſint, ſicut decet Miniſtros Myſteriorum Dei.* Splendor veſter facit, VENERABILES FRATRES, ut peccare ſine ſummo Reipublicæ detrimento, ac periculo non poſſitis. Ab iis quippe, quibus plus datum eſt, plus etiam requiretur. *Vos eſtis lux mundi, ac Civitas ſupra montem poſita*; In quos ex univerſa Eccleſia Populi, tanquam in Speculum, oculos ſuos conjiciunt; Neceſſe ergo eſt, ut ex Vobis habeant, quod imitentur.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 21. Februarii 1707.

ARGUMENTUM.

Petri Portugalliæ, & Algarbiorum Regis obitum, extremâ devoti ejus in ſe, & Apoſtolicam Sedem ſtudii declaratione honorificè commemoratâ, D. D. Cardinalibus nunciat; tum paterna monita, quibus novum Regem defuncti Natum ad æmulanda Majorum ſuorum de Catholica Fide optimè meritorum exempla incitaverat, exponit.

VENERABILES FRATRES.

Tſi Vobis, vel ipſo rumore publico nunciante, jampridem innotuiſſe non dubitemus cla. me. Petri, dum viveret, Portugalliæ, & Algarbiorum Regis obitum: illum tamen, quem nuperrimè per ſuas ad Nos datas literas uberibus erga hanc Sanctam Sedem obſequii, atque obedientiæ declarationibus refertas Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Joannes Rex ejus Natus, Regnique ſucceſſor Nobis ſignificavit, ex hoc loco, ut moris eſt, nullâ interpoſitâ morâ, Vobis denunciamus, ut pro eâ, qua ſublimes Principes, qui in Catholicæ Eccleſiæ communio- XVIII.

ne piè obierunt, proſequi apud Deum ſoletis, pietate, ſuffragiis veſtris defuncti Regis animæ æterna gaudia comparare non omittatis. Id ipſum & Nos privatim hactenùs agere non prætermiſimus, ac publicis in Pontificio noſtro Sacello celebrandis Exequiis, juxta Prædeceſſorum noſtrorum morem, ſtatâ die Vobis indicendâ, ſolemniter peragemus; eâ profectò Nos ad id impellente paternâ charitate, qua eumdem Regem ſemper proſecuti fuimus, quamque Ille proximè moriturus magis promeruit, addictum ſuum, ac Nobis, & Apoſtolicæ Sedi obſequentem animum ſuſpiria inter, & lacrymas explicando, dum ei à Dilecto Filio Noſtro Michaele Angelo Cardinale de Comitibus Nuncio illic noſtro extrema Pontificiæ largitatis officia ampliſſimis cœleſtium munerum prolatis theſauris exhiberentur. Interim quemadmodum novum, ac juvenem Regem datis ad eum literis paternè hortati fuimus, ut in Regiæ Dignitatis faſtigio collocatus Majorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum, ac de Orthodoxa Fide optimè meritorum exempla æmulari contendat, relaturus benedictiones à Deo, qui colentes ſe, & creditæ B. Petro, ejuſque Succeſſoribus poteſtati obſequentes ſinè uberi mercede eſſe non patitur: ita miſericordiarum Patrem, in cujus manibus ſunt corda Regum, enixè exoramus, ut greſſus ſervi ſui Regis in viam mandatorum ſuorum dirigat, ejuſque animum jugiter inflammet ad ea peragenda, quæ Chriſtianæ Reipublicæ tot calamitatibus afflictæ, ac Catholicæ Eccleſiæ tam diuturnis Filiorum ſuorum diſſidiis agitatæ læta eſſe poſſint, & ſalutaria.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 8. Junii 1707.

ARGUMENTUM.

Geſtis aliquot ante dies in cauſa electionis Epiſcopi Monaſterienſis breviter commemoratis, exponit Epiſcopum Paderbornenſem, & Canonicos Monaſterienſis Eccleſiæ, qui eum elegerant, humili retractatione emendaſſe quidquid contra Pontificium mandatum de proroganda Epiſcopi Monaſterienſis electione quovis modo peccaverant, & recitatis literis tum ab Epiſcopo Paderbornenſi, tum etiam à prædictis Canonicis ea de re ad Sanctitatem Suam datis, ad propoſitionem ejuſdem Monaſterienſis Eccleſiæ de more procedit.

VENERABILES FRATRES.

Iebus elapſis, ut probè noſtis, cum in Congregatione rerum Conſiſtorialium coram Nobis habita maturè, ac diligenter diſcuſſa fuiſſet celebris cauſa electionis Epiſcopi Monaſterienſis, complurium ex Fraternitatibus Veſtris, nec non complurium itidem ex Romanæ Curiæ Prælatis, qui eidem Congregationi interfuerunt, auditis Votis, electiones quidem à dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Monaſterienſis inter ſe diſcordibus XIX.

fa-

factas, utpotè nullas, & invalidas, minimè confirmandas eſſe cenſuimus; hujuſmodi verò electionibus reprobatis, ac penitùs abrogatis, decrevimus inſimul vacanti Eccleſiæ prædictæ ex integro providere de perſona Venerabilis Fratris Franciſci Arnoldi Epiſcopi Paderbornenſis, juxta modum à Nobis præſcribendum. Modus porrò, quem præſcribere intendebamus, is fuit, ut tam idem Epiſcopus, quàm Canonici illi, qui eum nulliter elegerant, quicquid contra noſtrum Pontificium mandatum de proroganda Epiſcopi Monaſterienſis electione quovis modo peccaverant, humili priùs retractatione emendarent, atque ita Epiſcopus ipſe non aliàs demùm, quàm omni prorsùs erga nos, & hanc Sanctam Sedem inobedientiæ ſuſpicione deterſa, ad Monaſterienſem Eccleſiam à Nobis tranſferretur. Impleverunt jam omnes, quod debebant, ſuaſque ad Nos Literas dederunt tam uberibus in nos, & eamdem Sedem ſynceræ fidei, ac devotionis ſignificationibus refertas, ut nihil jam pro explicanda præficiendi Epiſcopi vera obedientia, quæ Nobis debetur, nihil pro aſſerenda Apoſtolica auctoritate, cujus vindices ſumus, Nobis optandum ſuperſit. Leget illas mox Collegii Veſtri Secretarius, iiſque perlectis ad ipſius Eccleſiæ propoſitionem juxta conſuetum morem procedemus.

Ingreſſus hîc fuit Conſiſtorium D. Secretarius Sacri Collegii, & alta voce legit literas à Reverendiſſimo Epiſcopo Paderbornenſi, atque etiam à Canonicis Monaſterienſis Eccleſiæ ad Sanctitatem Suam conſcriptas; Quarum lectione abſoluta Sua Sanctitas providit ex integro Eccleſiæ Monaſterienſi de perſona ejuſdem Epiſcopi Paderbornenſis ſervatis aliàs de more ſervandis.

IN



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 1. Auguſti 1707.

ARGUMENTUM.

Quæ Eccleſiaſticæ libertati, & Authoritati in Regno Neapolis, in Ducatu Sabaudiæ, & Principatu Pedemontii, ac nuperrimè in Ducatu Parmæ, & Placentiæ à laica poteſtate illata fuerant, graviſſimis detrimentis ſummatim commemoratis, palàm facit ſibi decretum, fixumque eſſe, quando in irritum ceciderant interpoſitæ pluries paternæ admonitiones ſeveriora remedia inflictis Eccleſiæ vulneribus adhibere, ac ea, quæ Paſtoralis officii ratio poſtulabat, viriliter exequi. Quod re ipſa, & illicò præſtitit, promulgatis eo ipſo tempore, quo Sua Sanctitas hæc in Conſiſtorio diſſerebat, publiciſque, & conſuetis locis Urbis affixis tribus literis Apoſtolicis typis editis (Brevia vocant) quibus ea omnia, quæ in antedictis Dominiis geſta fuerant, Eccleſiaſticæ juriſdictioni, ac immunitati præjudicialia damnavit, & nulla, ac irrita declaravit, pluraque alia pro Eccleſiæ libertate, & Pontificiæ Authoritatis tuitione conſtituit.

VE-

VENERABILES FRATRES.

XX.

EX quo Catholicæ Eccleſiæ gubernacula non minùs inviti, quàm immerentes, Deo ſic diſponente, tractanda, ſuſcepimus, veniſſe nos in altitudinem maris benè novimus, innumeraſque, & ſanè graviſſimas è ſublimi hac Apoſtolica ſpecula Pontificatui noſtro ingruentes tempeſtates benè proſpeximus: nullam tamen difficultatis, & periculi pleniorem prævidimus, quàm quæ ſubeunda nobis erat adversùs ſæculi poteſtates, nova in dies, & minimè toleranda Authoritati, libertatique Eccleſiaſticæ præjudicia inferre molientes. Non propterea concidimus animo, in eo confiſi, qui ſperantes in ſe confundi non patitur; Dei enim promiſſio eſt, quæ præterire non poteſt: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum*. Arguimus, obſecravimus, increpavimus, inſtantes *opportunè, importunè*, juxta Apoſtoli monitum, *in omni patientia, & doctrina*; pluries idcircò, ſuadente juſtitia, aſperiora quæque aggredi parati fuimus: pluries, monente charitate, mitiora amplexi conſilia, Paſtoralis officii curſum inhibuimus; pluries manum extendimus ad virgam: pluries ſubtraximus; nihil ſanè curantes, quomodò interim homines modum hunc agendi noſtrum interpretarentur, qui ſciremus Deo æquè *per infamiam, ac bonam famam* ſerviendum eſſe. Nota res eſt, de qua loquimur: ſatis enim comperta ſunt, & pervulgata, quæ ante aliquot annos adversùs Eccleſiæ jura in Regno Neapolis, in Ducatu Sabaudiæ, & Principatu Pedemontii, ac nuperrimè in Ducatu Parmæ, & Placentiæ contigerunt; illa proinde Vobis, qui omnia noſtis, & quorum conſilio ſemper his in rebus uſi fuimus, ſingillatim referre prætermittimus. Nos certè viæ, quam hucuſque inivimus, minimè pœnitet, tum quia aliqua, nec

ſanè

ſanè leviora in præfato Regno Neapolis, ut Vobis notum eſt, condignâ, ac debitâ emendatione reparari obtinuimus, tum quia omnibus jam Pontificiæ lenitatis impletis officiis pro iis, quæ non pauca ſuperſunt, ad ſeveriora remedia, tametſi non ſinè maximo cordis noſtri dolore, fidentiùs tamen, & alacriùs devenire jam poſſumus. Cùm enim auctis in dies ſcandalis, & inauditis Eccleſiaſticæ authoritatis violationibus multiplicatis, eò nunc jam adducta res ſit, ut nulla amplius ſacris Altarium Miniſtris, nulla Epiſcopali dignitati, nulla Eccleſiis, nulla Nobis, nulla Deo reverentia ſuperſit, adeôque omni prorſus ſpe dejecti ſimus paternam longanimitatem noſtram quidquam in poſterum profuturam, dura quidem, ſed tamen inevitabilis implendi muneris noſtri neceſſitas exigit, ut inflicta Eccleſiæ vulnera non lentâ jam, nec levi manu tractemus. Decretum proindè nobis, fixumque eſt ſinè majori cunctatione ea hodie viriliter exequi, & palàm promulgare, quæ Paſtoralis officii ratio poſtulat, quæque diuturnis tam noſtris, quàm alienis precibus humiliter imploratum, cœleſtis gratiæ lumen Nobis oſtendit. Nec ſanè abſque peculiari Divinæ Providentiæ conſilio contigiſſe arbitramur, ut hac ipſa die, qua eum honorem, qui profanis olim Gentilium celebritatibus tribuebatur, ſacris illis B. Petri Vinculis piè deferimus, quibus Apoſtolorum Princeps, orante ſinè intermiſſione Eccleſia ad Deum pro eo, mirabiliter ſolutus fuit, Nos ſimiliter, poſt divinam opem enixè invocatam, vincula illa, quæ ſæcularis poteſtas injicere tentavit Eccleſiæ, quæ non ancilla, ſed libera eſt, Apoſtolicæ ſeveritatis gladio diſrumpamus. Nullus profectò labor, nullum periculum deterrere Nos poterit ab ea, quam tam juſtè ſuſcepimus, Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ jurium defenſione: magno, fortique gradu pergemus ire, quò cœpimus, animo recolentes præclara illa Apoſtoli verba: *Si quid patimini propter juſtitiam, beati*.

Deum interim Omnipotentem, cujus tremendo judicio potentiſſimi quique Gentium Principes pavidi, ac nudo latere palpitantes ſubeſſe debent, noſtræ, ſeu potius ſuæ cauſæ vindicem, & aſſertorem invocamus, levantes cor, & oculos noſtros in montem excelſum, & ſanctum, unde omne nobis auxilium affuturum ſperamus, fidenterque cum Propheta clamantes: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Reliquum eſt, VENERABILES FRATRES, ut Vos quoque, qui in partem ſolicitudinis noſtræ vocati eſtis, quæ conſilio veſtro egimus, jugibus veſtris apud Deum votis, & aſſiduis precationibus juvetis, divinam bonitatem in contritione cordis obſecrantes, ut ſuâ cœleſti ope curis, & conatibus noſtris clementer adeſſe non dedignetur.

Poſt hæc declaravit S. R. E. Presbyterum Cardinalem Joſephum Vallemanum Archiepiſcopum Athenienſem Palatii Apoſtolici Præfectum, *quem in Conſiſtorio ſecreto habito die* 17. *Maji* 1706. *unà cum aliis novendecim Cardinalibus creaverat, & in pectore reſervaverat. Prætereà alium ſimiliter Presbyterum Cardinalem creavit, ac renunciavit; videlicet* R. P. D. Carolum Thomam Maillard de Tournon Patriarcham Antiochenum *in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis cum poteſtate Legati de latere Generalem Viſitatorem Apoſtolicum.*

VENERABILES FRATRES:

XXI. AD gloriam Omnipotentis Dei, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus, palàm hodie evulgare, ac declarare intendimus unum Presbyterum Cardinalem, quem dudum, nempe in Conſiſtorio ſecreto habito die 17. Menſis Maji anni proximè præteriti, unà cum aliis novendecim Cardinalibus creavimus, & in pectore reſervavimus, videlicet: Venerabilem Fratrem Joſephum Vallemanum Archiepiſcopum Athenienſem,

Pa-

Palatii noſtri Apoſtolici Præfectum; cujus virtutes non recenſemus, quia Vobis ſatis compertæ ſunt, ac notæ. Prætereà cùm non minùs iis, qui longè, quàm illis, qui prope ſunt, debitores ſimus, ac Operarios in vineâ Domini, non modò ſub oculis noſtris, ſed etiam in longinquioribus Orbis terrarum partibus ſtrenuè, fideliter, ac fructuosè laborantes præclarioribus Apoſtolicæ liberalitatis præmiis decorari maximè deceat: ut Chriſtianæ Religionis, ac Catholicæ fidei in remotiſſimis ab hac Sancta Sede Regionibus ſolidiori ſtabilimento, & latiori propagationi omni, qua poſſumus, ratione opportunè conſulamus, creare ſimiliter intendimus alium Presbyterum Cardinalem, videlicet. Venerabilem etiam Fratrem Carolum Thomam Maillard de Tournon Patriarcham Antiochenum, quem ferè ex ſexennio, ut Vobis notum eſt, de Fraternitatum Veſtrarum conſilio pariter, & aſſenſu, Noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Generalem Viſitatorem in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis cum poteſtate itidem noſtri, & ejuſdem Sedis de Latere Legati, deputavimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus, ac reſpectivè creamus S. R. E. Presbyteros Cardinales Joſephum Vallemanum Archiepiſcopum Athenienſem, ac Carolum Thomam Maillard de Tournon Patriarcham Antiochenum cum derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 15. Aprilis 1709.

ARGUMENTUM.

Creat S. R. E. Cardinales Ulyſſem Joſephum Gozzadinum Archiepiſcopum Theodoſiæ, Pontificiorum Brevium ad Principes à Secretis, ac etiam alium, quem in pectore reſervat.

VENERABILES FRATRES.

XXII. 

D majorem Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus, Fraternitatum Veſtrarum, numero adſcribere intendimus Venerabilem Fratrem Ulyſſem Joſephum Gozzadinum Archiepiſcopum Theodoſiæ, Brevium noſtrorum, quæ ad Principes ſcribuntur, Secretarium, cujus virtutes longâ jam familiari experientiâ Nobis probatæ, Vobis pariter ſatis perſpectæ ſunt; ac etiam alium, quem tamen rationabilibus ex cauſis in pectore volumus reſervare.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, creamus S.R.E. Cardinales Ulyſſem Joſephum Gozzadinum Archiepiſcopum Theodoſiæ, ac alium, quem in pectore reſervamus, quovis loco, & tempore arbitrio noſtro declarandum, cum clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 19. Junii 1709.

ARGUMENTUM.

Cardinalitiæ Dignitatis abdicationem à Domino Cardinali Franciſco Maria Mediceo ſponte factam admittit.

VENERABILES FRATRES.

Ignificavit Nobis Dilectus Filius Noſter Franciſcus Maria S. Mariæ in Domnica Diaconus S. R. E. Cardinalis Medices nuncupatus, quod tametſi ipſe ſuâ ſorte, quæ ſors Domini eſt, valdè contentus, animum ſemper habuerit Cardinalitiam dignitatem, quam dudum à fel. rec. Innocentio PP. XI. Prædeceſſore noſtro accepit, uſque ad extremum ſuæ vitæ ſpiritum retinendi, nihilominus præſens, ac ſatis notus ejus Familiæ ſtatus talis eſt, ut etiam invitus, ac dolens non modò illius propagandæ ratione, quàm Italiæ tranquillitatis cuſtodiendæ ſtudio adductus, priſtinam ſuam ſententiam mutare, atque ad laicalia vota tranſire compellatur. Hinc Nos ſupplex exorat, ut Dignitatis hujuſmodi ceſſionem benignè admittere non recuſe- XXIII.

mus,

mus, præſertim cùm ipſe non minùs Nobis, quàm Prædeceſſoribus noſtris annuentibus in nullo ex ſacris, imò neque ex minoribus Ordinibus conſtitutus reperiatur, nec populorum ſuæ Gentis dominio ſubjectorum voces, ac deſideria patiantur eum diutiùs in priori ſua vocatione perſeverare. Fuſiùs hæc exponet ejuſdem Cardinalis Procurator, quem ipſe hac de cauſa ſpecialiter conſtituit, ac deputavit; Illum proindè introducendum, ac audiendum eſſe cenſemus.

Introductus ſubinde fuit in Aulam Conſiſtorii R. P. D. Vincentius Amadorius de Manieris Signaturæ Juſtitiæ Votans, & D. Cardinalis reſignantis Procurator; poſt quem introducti pariter fuere D. Philippus Sacripantes Advocatus Conſiſtorialis, Reverendiſſimi P.P. D.D. Ludovicus Picus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Palatii Apoſtolici Præfectus, & Joſeph Cajetanus Patriarcha Alexandrinus: R.R. P.P. D.D. Antonius Bancherius, & Maphæus Farſettus Protonotarii Apoſtolici de numero Participantium: R.R. P.P. D.D. Annibal Albanus ex Germano Fratre Sanctitatis Suæ Nepos Cameræ Apoſtolicæ Præſes, & Fabius Oliverius Brevium Secretorum à Secretis, tamquam utriuſque Signaturæ Referendarii: Reverendiſſimus D. Antonius Franciſcus Sanvitalis Electus Urbinas, Pontificii Cubiculi Præfectus cum duobus intimis Cubiculariis, ſcilicet D.D. Bartholomæo Maſſeo, & Antonio Maria Raſponio Cappa indutis: Reverendiſſimus P. D. Petrus Marcellinus Corradinus Archiepiſcopus Athenarum Sanctitatis Suæ Auditor, D. Jo: Chriſtophorus Battellus Cappâ rubeâ indutus in locum D. Cardinalis Gozzadini Brevium ad Principes Secretarius deputatus, D. Jacobus de la Croix Clericus Nationalis Gallus in locum D. Guidi Paſſionei Sacri Collegii Secretarii ſubſtitutus, & D.D. Cæremoniarum Magiſtri.

Quibus omnibus aſſiſtentibus D. Sacripantes Advocatus Conſiſtorialis è Regione Pontificiæ Sedis conſtitutus flexis genibus Sanctitatem Suam ita allocutus eſt.

BEA-

BEATISSIME PATER.

R. P. D. Vincentius Manierius de Amadoris Signaturæ Juſtitiæ Votans, & Franciſci Mariæ Cardinalis Medicei ſpecialis Procurator legitimo ſuffultus mandato ad ſolemniter dimittendam Cardinalatus Dignitatem habet ad Sanctitatem Veſtram, & Sacrum Collegium literas, quas humiliter ſupplicat recipi, iiſque lectis audiri, quæ habet in mandatis.

Illicò idem D. Advocatus Conſiſtorialis tradidit Domino Caſina Magiſtro Cæremoniarum antiquiori tum literas à Domino Cardinali Reſignante ad Sanctitatem Suam ea de re datas, tum etiam alias literas ab Eminentia Sua Sacro Collegio conſcriptas. Priores juſſu Sanctitatis Suæ mox traditæ ſunt D. Battello, qui ſtans inter Scamnum DD. Cardinalium, & Sedem Pontificiam converſus ad DD. Cardinales eas elata voce legit, erantque tenoris, qui ſequitur, videlicet:

AD SANCTITATEM VESTRAM

BEATISSIME PATER,

ROmanæ Purpuræ Dignitatem, qua à ſa. me. Innocentio XI. anno 1687. ornatum me gloriabar (Sanctiſſime Generis humani moderator CLEMENS XI. Pont. Max.) Tibi nunc reddere, & ad pedes Sanctitatis Tuæ in genua provolutus cum ſumma venerandi dimiſſione cogor deponere. Debui ſiquidem, accedente etiam judicio Sanctitatis Tuæ graviſſimo, & maximo (quod numquam cogitaveram futurum) omni rerum mearum, ac anteactæ vitæ meæ inſtituti ratione poſthabitâ, non tam privato meo, quàm publico Domus noſtræ, & forſan Italiæ commodo conſulere, difficillimis iſtis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, & quantum in me eſt, quieti, ac tranquillitati ſervire, ſi Deo viſum fuerit Domum hanc (nulla extante virili pro-

le)

le) aliquo per me munimento, mihi liberos largiendo, fulcire, ut conſiſtat. Petit hoc à me Patriæ charitas, exigunt vota Populorum, Etruriæ bonum: conſilia prudentum perſuadent, ut acquieſcam, & obtemperem. Quamobrem me ab Urbe diſſito, & non unâ causâ legitimè impedito Vincentius Amadorius de Manieris Signaturæ Juſtitiæ Votans, tanquam Procurator ad hoc ſpecialiter à me deputatus, preces, qua par eſt ſubmiſſione porriget Sanctitati Tuæ, ut mihi fas ſit Dignitatem iſtam ritè dimittere: quod conſilium valde placitum, & ex alto rerum humanarum apice ſpero Apoſtolicæ Benedictionis gratiâ probatum iri, dum hac fiduciâ fretus, Sanctitatem Tuam propenſum erga me animum, ac paternam voluntatem benignè ſervaturam confido. Vicariam in terris Numinis poteſtatem gerenti Sanctitati Tuæ pronus ad pedes procumbens, quæ eſt tuæ clementiſſimæ Majeſtatis humanitas, eam rogo, & obteſtor, ut ſi expectationem, ac officii numeros non impleverim: ſique Majorum meorum dotes non æquaverim, magnanimè ignoſcas. Intereà, ut Sanctitas tua graviſſima rerum momenta feliciter tractet, terras moderetur, ac tueatur D.O.M. ſupplex exoro, & libato ad Sanctiſſimos pedes oſculo, iterum Apoſtolicâ Benedictione muniri venerabundus expoſtulo.

Florentiæ 8. Junii 1709.

Sanctitatis Veſtræ.

Humill. Devot., & Obſ. Servus:
Franciſcus Maria Cardinalis Medices.

Aliæ verò literæ ad Sac. Collegium datæ juſſu pariter Sancti. tatis Suæ traditæ fuerunt D. Clerico Nationali, qui eas mox ibidem alta voce legit, & erant tenoris ſequentis.

Emi-

Eñi, & Rñi Domini mei Obſervandiſſimi.

PRo rerum humanarum varietate mutanda ſæpius eſſe conſilia, diverſumque vitæ curſum inſtituendum, in me experior, Eminentiſſimi Domini mei, cùm aliquot ab hinc annis, ut Domus noſtræ commodo ſervirem, in qua (ut neminem Veſtrûm latet) nulla virilis proles exiſtit, me debere intellexi poſteritati, & ſanguinis propagationi conſulere, & idcircò de dimittendâ Purpurâ ſeriò cogitare. Quare divinæ voluntati mihi obſequendum cognoſcens, quamvis valdè me pigeat, inſignis Collegii Veſtri decus exuere, quo juvenis me ornatum jucundè ſuſpexi, ſtatui tandem ſequi conſilia prudentum, ut mutationem iſtam ſubirem. Et ſanè niſi ſuperiora iſta, niſi horum vota populorum, niſi publica quies, temporum conditio, & fortaſſe bonum Italiæ, me impuliſſent, profectò difficile animum inducere potuiſſem, ut conſilium iſtud amplecterer, & ab ampliſſimo, fraternoque conſortio veſtro ſejungerer. De iſto quippe ſacro Ordine, quàm ſemper magnificè ſenſerim, atque præclarè, innumera mihi ſum conſcius argumenta protuliſſe, quibus animi mei conſtans in Vos obſequium, Patres ampliſſimi, metiremini. Delegi igitur, ac deputavi Procuratorem meum Vincentium Amadorium de Manieris, Signaturæ Juſtitiæ Votantem, qui meis verbis Sanctitati Pontificis Maximi (quem humano generi Vicariâ Majeſtate præeſſe Deus voluit) demiſsè ſupplicaret, ut ipſo annuente, liceat mihi Cardinalatus Dignitatem dimittere. Quod dum E.E. V.V. vehementer animo commotus hiſce ſignifico, rogo Veſtrum ſingulos, ut qua auctoritate, & gratia plurimum valetis, me ſolitâ benevolentiâ proſequi pergatis, qui Vos prudentiâ, rerum gerendarum uſu, & ſublimi virtute præditos admiratus, tamquam coram Vos alloquerer, ut unicuique Veſtrum venerationis meæ officia deferrem, Vobis perpetuò me devinctum fateor, omneque ſtu-

dium, ac diligentiam pollicitus, fausta cuncta, feliciaque precor, manusque vestras pronus osculor.

Florentiæ 8. Junii 1709.

E. E. V. V.

Humill. Devot. Servus Verus
F. Maria Cardinalis Medices.

Peractâ ejusmodi literarum recitatione præfatus Clericus Nationalis legit etiam alta voce mandatum Procuræ D. Cardinalis resignantis sibi traditum à memorato Cæremoniarum Magistro, cujus tenor omittitur.

Perlecto ejusmodi mandato D. Advocatus Consistorialis suam Orationem, & supplicationem prosecutus est his verbis:

Ampliſſimam Cardinalitiam Dignitatem, quam ſingulari benignitate ſa me. Innocentii XI. Sanctitatis Veſtræ Prædeceſſoris à quatuor cum dimidio luſtris obtinuiſſe, & retinuiſſe gloriatur Franciſcus Maria Medices, ad extremum uſque ſuæ vitæ ſpiritum continuare ſperabat; unde inexplicabile dictu eſt quàm gravem animi ægritudinem ſenſerit, quando notiſſimis ſuæ Familiæ caſibus ad innovationem adeò ſibi grati, & illuſtris ſtatus Eccleſiaſtici in connubialem thalamum adactum ſe ſenſit. Prudens tamen, imò neceſſarium putavit conſilium omne ſuæ voluntatis arbitrium inſcrutabilis Divinæ diſpoſitionis nutibus ſubjicere, & publicis votis tam totius Familiæ, quàm ſubditorum privata ſua commoda, & deſideria ſacrificare, & poſtponere; certâ ſpe fretus quòd etiam à Sanctitatis Veſtræ judicio benignam promereri poſſit approbationem idem conſilium, per quod non ſolum populorum ejus Familiæ dominio ſubjectorum quies, ſed finitimæ ditionis Eccleſiæ, ac totius Italiæ tranquillitas mediante prole à Divina benignitate imploranda promoveatur, & celſiſſima Familia propagetur terrâ, marique præpotens, quæ nullum majus decus, & ornamentum extollit, quàm reverentiam, & obſequium huic Sanctæ Sedi illibatè ſervatum. Qua

de

de re Pedibus Sanctitatis Veſtræ provolutus idem Procurator dicti Cardinalis Medicei nullo Sacrorum Ordinum, ſed ſolùm Clericali tonſura S. Sedis Apoſtolicæ benigna diſpenſatione initiati eâ, quâ decet, reverentiâ, præfatam Cardinalatus Dignitatem cum omnibus, & ſingulis præeminentiis, inſignibus, prærogativis, & titulis in manibus Sanctitatis Veſtræ ſpontè, & liberè dimittit, reſignat, & cedit, humiliter ſupplicans, ut hanc dimiſſionem, reſignationem, & ceſſionem benignè dignetur admittere, ipſique Juramenta quæcumque, & vincula occaſione dicti Cardinalatus contracta remittere, & relaxare, & de omnibus commiſſis, omiſſis, & neglectis abſolvere, paternamque benedictionem impertiri.

Finita dicti Advocati Conſiſtorialis Oratione Dominus Caſina Cæremoniarum Magiſter antiquior rogavit DD. Protonotarios præſentes, ut de Inſtantia admiſſionis, & reſignationis hujuſmodi publicum conficerent Inſtrumentum, ita locutus.

Protonotarii Apoſtolici hîc præſentes erunt rogati de hujuſmodi inſtantia, facta à Procuratore Franciſci Mariæ Cardinalis Medices, vigore ſpecialis Mandati per Clericum Nationalem Sacri Cellegii nunc perlecti ſuper admiſſione ceſſionis, & reſignationis Dignitatis Cardinalatus, nec non omnium, & quorumcumque jurium ad ipſum ratione ejuſdem Dignitatis ſpectantium, & pertinentium, ut quandocumque opus fuerit, de his unum, vel plura publicum, ſeu publica Inſtrumentum, ſive Inſtrumenta conficere poſſint, & valeant.

Tunc R.P. D. Bancherius Protonotarius Apoſtolicus antiquior non tam ad R.R. P.P. D.D. Referendarios, quàm ad ceteros ibi præſentes converſus eos Actorum hujuſmodi teſtes adhibuit his verbis: Vobis teſtibus:

Peracta, receptaque in hunc modum inſtantia, Conſiſtorio exie-

runt omnes, ut ſupra, introducti, ita ut Sanctiſſimus cum DD. Cardinalibus ſolus remanſerit, qui ſubinde ipſos DD. Cardinales his verbis allocutus eſt.

Attenta inſtantia Nobis nuper facta non minùs pro ea, qua inclytam Domum Mediceam tot nominibus claram, ac ſingulari in primis erga hanc Sanctam Sedem devotione præfulgentem paterna complectimur charitate, quàm publicæ quieti opportunè proſpiciendi ratione potiſſimùm ſuadente, admittere intendimus dimiſſionem petitam.

Quid Vobis videtur?

Poſt hæc ſinguli DD. Cardinales, ſervata Ordinis, ac loci prærogativâ, ſuffragium de more tulerunt, cumque Cardinalatus reſignationem à d. D. Cardinali Mediceo ritè factam admittendam eſſe unanimes cenſuiſſent, Sanctiſſimus ejuſmodi reſignationem Apoſtolico ſolemni Decreto ſequentibus verbis concepto admiſit, atque probavit:

Auctoritate Omnipotentis Dei, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ, admittimus ceſſionem, & dimiſſionem Cardinalatus, & Diaconiæ S. Mariæ in Domnica in manibus noſtris factam unà cum omnibus privilegiis, & inſignibus ad Dignitatem Cardinalitiam, & dictam Diaconiam quovis modo ſpectantibus, itaut ipſe Franciſcus Maria Medices dimittens deinceps nullo modo ſit Cardinalis, nec talis nominari poſſit, neque in ullis actibus ad Cardinales pertinentibus, & præcipuè in electione Summi Pontificis vocem activam, vel paſſivam habere, vel in illis ſe ingerere quoquo modo, uti Cardinalis valeat. Illum proindè abſolvimus à vinculo quorumcumque Juramentorum præſtitorum tam occaſione Cardinalatus, & ejuſdem Diaconiæ, quàm ratione Monaſteriorum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum ab eo obtentorum; Decernentes inſuper hæc omnia Monaſteria, & Beneficia, quæ obtinet, per admiſſionem hujuſmodi eo ipſo vacare, illumque pariter abſolventes à qui-

buſ-

buſvis tranſgreſſionibus circa prædictorum Juramentorum obſervantiam forſan commisſis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Pronunciato demum Pontificio Decreto reſeratum eſt Conſiſtorium, è quo ſurgens Sanctiſſimus ſuas ſecretiores Cameras repetiit. Dum autem Cubiculum Conſiſtoriali Aulæ proximum pertranſiret, R.P.D. *Manierio Procuratori in genua provoluto dixit:* Admiſimus Ceſſionem Cardinalatus: *obtulit tunc ille ſuper pollubrum argenteum Galerum Cardinalitium ab altero ex Cæremoniarum Magiſtris receptum, & pedem Sanctitatis Suæ ſuper eum Crucis ſignum producentis reverenter oſculatus eſt.*

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 22. Julii 1709.

ARGUMENTUM.

R. P. D. Annibalem Albanum Sanctitatis Suæ Germani Fratris Filium deputat Nuncium extraordinarium ad Imperatorem, alioſque Reges, & Principes, ut in Pacis tractationibus inter eos propediem ineundis Apoſtolicæ Sedis dignitatem, & orthodoxæ Fidei rationes pro viribus tueatur.

VENERABILES FRATRES.

XXIV.

Uperioribus diebus ineundæ propediem inter Chriſtianos Principes Pacis audito rumore, optatam tandem quietem, & tranquillitatem diuturno, ac ſanè acerbiſimo bello feſſis gentibus reddendam fore ſperavimus. Verùm nondum oblito Domino delicta populi ſui, ac de noſtris potiſſimùm graviorem vindictam ſumere cogitante, ingemiſcere cum Propheta compellimur: *Expectavimus Pacem, & non eſt bonum: tempus medelæ, & ecce formido: tempus curationis, & ecce turbatio*; Si enim, ut cum ejuſdem Prophetæ verbis loqui proſequamur, *ſi enim egreſſus fuero ad agros, ecce occiſi gladio: & ſi introiero in Civitatem,*

ecce

ecce attenuati fame. Quod tamen magis deplorandum eſt, atque dolendum, malorum hæc non ſunt ſumma noſtrorum; timendum quippe magis eſt, nec immeritò timendum, nè filiis tenebrarum, qui prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt, adnitentibus, deterior bello pax ita forſan ex inopinato coaleſcat, ut exclamare cogamur: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*. Nos ſanè in tanto rerum diſcrimine conſtituti, cor primùm, & oculos noſtros in montem excelſum, & ſanctum, unde omne nobis auxilium affuturum confidimus, levare non prætermiſimus, enixè Dominum deprecantes, ut qui facit pacem in ſublimibus, & Reges in thronis collocat, arctam non modò, & indiſſolubilem animorum concordiam, ſed & parem Catholicæ Fidei, conjunctis viribus, & conſiliis, tuendæ, & propagandæ zelum Orthodoxis Principibus largiatur. Hæc porrò Nos ipſi iiſdem Principibus majori, qua poſſumus, animi contentione ſuaſuri, allegare decrevimus ad Chariſſimos in Chriſto Filios noſtros Joſephum Romanorum Regem in Imperatorem Electum, alioſque Reges, nec non ad ceteros Principes, quibus fas erit, Dilectum Filium Annibalem Albanum, noſtrum ſecundùm carnem ex Fratre germano Nepotem, ac Cameræ Apoſtolicæ Præſidem, qui graviſſimum hoc negotium non tam apud illos, quàm aliàs ubicumque opus fuerit, urgere valeat. Ibit igitur ipſe, ibit quamprimùm, non in curribus, neque in equis, ſed in nomine Domini. Ibit Reipublicæ, Eccleſiæ, Religionis, adeôque noſtram, atque hujus Sanctæ Sedis cauſam acturus. Ibit quocumque injunctum ſibi ejuſmodi munus eum vocabit: ad ipſum etiam locum, in quo tractationes pacis habendæ erunt, profecturus, ſi, & quomodo hoc ipſum, & Apoſtolicæ Sedis dignitas pati, & orthodoxæ Fidei rationes, in quibus vera dignitas ſita eſt, poſtulare videbuntur. Ibit demum benè edoctus Pontificium Regnum, ad inſtar Regni Chriſti, non aliud, quàm Crucis Regnum eſſe; mini-

minimè proinde petens in eo ſedere ad dexteram, vel ad ſiniſtram: calicem tamen laborum, quem Nos ei propinamus, alacriter bibiturus. Hæc Vos hodie ſcire voluimus, VENERABILES FRATRES, ut pro parte ſolicitudinis, ad quam vocati eſtis, curas, & conatus noſtros rei non minùs arduæ, quàm ſalutari intentos tum operâ, & conſilio, tum jugibus ad Deum votis, & precationibus juvetis; ſicuti perſpecta pietas, & religio veſtra, ac perpetuum Catholicæ Eccleſiæ, & Cauſæ publicæ ſtudium abundè Nobis pollicentur.

Poſt hæc declaravit S. R. E. Presbyterum Cardinalem Antonium Franciſcum Sanvitalem Archiepiſcopum Urbinatem, Pontificii Cubiculi Præfectum, quem in Conſiſtorio ſecreto habito die 15. Aprilis proximè præteriti unà cum Eminentiſſimo Gozzadino Cardinalem creaverat, & in pectore reſervaverat.

VENERABILES FRATRES.

XXV. ADmonet Nos Natalis noſter hic dies præcipuæ illius, quam Patriæ debemus, charitatis; neque enim ortus noſtri tempus reminiſci poſſumus, niſi etiam loci, in quo orti fuimus, recordemur. Ut itaque hac die & Urbi, in qua nati, & Eccleſiæ, in qua renati fuimus, gratos Nos exhibeamus, illuſtri utramque Pontificii amoris teſtimonio decorare, illarumque Præſulem, quem nuper, nempe die 15. Aprilis proximè præteriti, S. R. E. Cardinalem creavimus, & in pectore reſervavimus, palàm hodiè evulgare, ac declarare conſtituimus, videlicet Venerabilem Fratrem Antonium Franciſcum Sanvitalem Archiepiſcopum Urbinatem, Cubiculi noſtri Præfectum, cujus eximiæ, ac Sacro Antiſtite planè dignæ virtutes ſatis vobis innoteſcunt.

Quid Vobis videtur?

Au-

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Antonium Franciſcum Sanvitalem Archiepiſcopum Urbinatem cum derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 9. Septembris 1709.

ARGUMENTUM.

Suos, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatos deputat, ac declarat, Bononiæ Laurentium Caſonum, Romandiolæ Thomam Ruffum, & Ferrariæ Laurentium Corſinum S. R. E. Cardinales.

VENERABILES FRATRES.

XXVI.

Ergente jam in finem triennio, ad quod Legationem Bononienſem demandavimus Dilecto Filio Noſtro Nicolao S. R. E. Cardinali Grimaldo, qui eam pari cum juſtitiæ, ac prudentiæ laude, difficillimo tempore exercuit: ad eamdem nunc Legationem transferre intendimus è Legatione Ferrariæ, tametſi conſueto hujus tempore nondum expleto, Dilectum pariter Filium noſtrum Laurentium ejuſdem S. R. E. Cardinalem Caſonum, qui hujuſmodi Legationem Ferrarienſem ſummâ fide, ac ſanè ſemper inter malorum, aut præſentium ſenſum,

aut

aut metum futurorum forti animo, ut probè noſtis, adminiſtravit.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ transferimus à Legatione Ferrarienſi ad Bononienſem præfatum Cardinalem Caſonum; eumque declaramus, ac deputamus noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum Bononiæ ad triennium, cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Labitur itidem triennium, ad quod Legationem Romandiolę commiſimus Dilecto Filio Noſtro Philippo Antonio S.R.E. Cardinali Gualterio, qui eam inter tot nimiùm notas rerum, ac temporum difficultates, ſedulò, ac fideliter ſuſtinuit. Eidem nunc proindè Legationi præficere intendimus Dilectum pariter Filium Noſtrum Thomam ejuſdem S.R.E. Cardinalem Ruffum, de cujus fide, integritate, probataque in regendis illius Provinciæ populis prudentia plurimùm in Domino confidimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus, & deputamus Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum Romandiolæ præfatum Cardinalem Ruffum ad triennium, cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Vacante jam etiam Legatione Ferrariæ per translationem nuper inde à Nobis factam, ut audiſtis, Dilecti Filii Noſtri Laurentii S.R.E. Cardinalis Caſoni ad Legationem Bononienſem, præficere intendimus primodictæ Legationi Dilectum pariter Filium Noſtrum Laurentium ejuſdem S.R.E. Cardinalem Corſinum, de cujus fide, prudentia, integritate, rerum uſu, ac in præcipuis

Reipublicæ muneribus gerendis experientiâ plenè in Domino confidimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ: declaramus, ac deputamus Noſtrum, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legatum Ferrariæ præfatum Cardinalem Corſinum ad triennium, cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 14. Octobris 1709.

ARGUMENTUM.

Conſilium, quod ſuſceperat, Sereniſſimum Auſtriæ Archiducem Carolum honeſtandi titulo Regis Catholici Hiſpaniarum ad normam Clementinæ: Si Summus Pontifex &c. *DD. Cardinalibus aperit.*

VENERABILES FRATRES.

Uſtum ſanè, ac ſalutare conſilium, quod Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Joſephi Romanorum Regis in Imperatorem electi germanus Frater nuper ſuſcepit, palàm explicandi filiale ſuum, ac debitum in hanc Sanctam Sedem obſequium; ac aliàs Nobis, & Eccleſiæ ad Canonicarum Sanctionum præſcriptum ſatisfaciendi, mutuas à Nobis paternæ noſtræ charitatis ſignificationes expoſtulat. Idcircò, quemadmodum illum Hiſpaniarum Regis Catholici titulo nuncupare conſtituimus, ita ei, quoad ditiones, quas tenet, ſeu forſan ipſum de cetero tenere contigerit, Jurium illi annexorum uſum minimè in poſterum denegabimus. Ut tamen hæc omnia ritè, ac rectè, & ſinè alterius cu- XXVII.

juſ-

juſquam injuria, aut præjudicio à Nobis peragi notum ſit, ſcire Vos volumus, Nos hac in re normam omninò ſequi Conſtitutionis fel. rec. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennenſi editæ, qua cautum fuit, quòd ſiquem Summus Pontifex ſub titulo cujuslibet Dignitatis ex certa ſcientia verbo, conſtitutione, vel literis nominet, honoret, ſeu quovis alio modo tractet, per hoc in Dignitate illa ipſum approbare non intelligatur, aut quicquam ei tribuere novi juris. Hanc itaque Conſtitutionem, quam, ut probè noſtis, non abſimilium contentionum occaſione etiam rec. me. Pius II Joannes XXII., & Sixtus IV. Romani Pontifices pariter Prædeceſſores noſtri approbarunt, & innovarunt, Nos eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum exemplis adducti, illiſque expreſsè inhærentes, ſimiliter approbamus, & innovamus; ut ita non minus quæcumque noſtra, quàm aliena, ac præſertim amborum de Hiſpanica ſucceſſione contendentium, quæ verè nullatenus cognovimus, aut diſcuſſimus, Jura, æqualiter ſalva, & illæſa remaneant: Nos verò nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, ab eo, quem ſemper ſecuti fuimus, Apoſtolicæ Sedis more minimè recedamus. Hæc habuimus, Venerabiles Fratres, quæ Vobis hodie ex hoc loco ſignificaremus; Ut quæ ſit noſtra mens ab injuncto Nobis divinitus Paſtorali munere, adeôque à recto Juſtitiæ tramite numquam aliena, apertè dignoſcatis: Patremque Miſericordiarum enixè ſimul rogare poſſitis, ut ea, quæ agimus, Chriſtianæ Reipublicæ, Catholicæ Eccleſiæ, atque huic Sanctæ Sedi benè, ac feliciter faciat evenire.

IN CONSISTORIO SECRETO

Die 19. Februarii 1710.

ARGUMENTUM.

Quæ cùm à Carolo Hiſpaniarum Rege Catholico, tum ab ejus Adminiſtris in Ducatu Mediolanenſi, ac in Regno Neapolis geſta fuerant, ut detrimenta utrobique Eccleſiaſticæ auctoritati illata ſarcirentur; quæque inſuper à Sanctitate Sua, ejuſque permiſſu à DD. Cardinalibus Archiepiſcopis Mediolanenſi, & Neapolitano peracta fuerant, ut uberiùs Eccleſiæ ſatisfieret, DD. Cardinalibus luculenter exponit.

VENERABILES FRATRES.

Unciavimus Vobis in præterito Conſiſtorio juſtum, ac ſalutare conſilium, quod Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Joſephi Romanorum Regis in Imperatorem electi germanus Frater ſuſceperat, palàm explicandi filiale ſuum, ac debitum in hanc Sanctam Sedem obſequium, ac aliàs Nobis, & Eccleſiæ ad Canonicarum Sanctionum præſcriptum ſatisfaciendi ſuper iis, quæ ejus nomine in graviſſimum Eccleſiaſticæ non minùs authoritatis, quàm Pontificiæ Dignitatis detrimentum, tam in Ducatu Me- XXVIII.

dio-

diolanenſi, quàm in Regno Neapolis jamdudum contigerant; Illum proptereà de cætero Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici titulo, ad limites tamen Conſtitutionis fel. rec. Clementis PP. V. Prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennenſi editæ, & non aliàs, nuncupare Nos ſtatuiſſe Vobis ſignificavimus. Æquum nunc itidem, ac ab ea, qua Vos in Domino complectimur, ſingulari charitate non alienum ducimus Vobis ex hoc loco edicere ſuſceptum, ut ſupra, ab eodem Carolo Rege conſilium, confecto jam opere, impletum fuiſſe; editâ ſiquidem generali, abſolutâ, ac publicâ abrogatione, reſciſſione, & revocatione illorum Edictorum, & Decretorum, quæ in Ducatu Mediolanenſi, ac in Regno Neapolis tam ſuper prohibitione extrahendi, ſive extrahi faciendi ab utroque Dominio pecunias ad hanc almam Urbem, aliave loca Ditionis Eccleſiaſticæ deferendas, quàm ſuper interceptione proventuum Eccleſiaſticorum ad poſſeſſores extra eadem dominia degentes pertinentium, dudum promulgata fuerant: juſsâque inſuper quorumvis interceptorum proventuum hujuſmodi fideli, atque integra reſtitutione: ac iis demùm additis, quæ Nos, ut uberiùs Eccleſiæ ſatisfieret, utrobique peragi curavimus, detrimenta omnia, & damna, quæ Eccleſiaſticæ authoritati ex memoratis Edictis, atque Decretis obvenerant, reparata fuiſſe non ambigimus. Hæc ſanè Vobis magna ex parte jam innotuiſſe non dubitamus; quia tamen non omnia omnibus perſpecta eſſe arbitramur, ſcire ideò Vos volumus, ſtatim ac inaudivimus eumdem Carolum Regem ſuis die 28. Auguſti ſuperioris anni datis literis Edictorum, ac Decretorum hujuſmodi reſciſſionem mandaſſe, Nos minimè in primis omiſiſſe Regem ipſum paterna charitate admonere, ac hortari, ut conſcientiæ ſuæ conſuleret, attributâ ad id ejus Confeſſario facultate ab Eccleſiaſticis Cenſuris, & pœnis, quas propter præmiſſa incurrerat, ipſum abſolvendi. Prætereà ut Eccleſiaſticæ

in-

indemnitati, præter perperam geſtorum emendationem eadem authoritate, qua illa peracta fuerant, ut ſupra, faciendam, Apoſtolici etiam judicii noſtri acceſſione pleniùs conſultum eſſèt, per binas noſtras in forma Brevis die 5. Octobris proximè præteriti expeditas literas Edicta, & Decreta præfata cum omnibus, & ſingulis indè ſecutis, ac quandocumque ſecuturis, nulla prorsùs, & inania fuiſſe, & eſſe pronunciavimus, viribuſque, & effectu penitùs vacuavimus; firmis remanentibus Cenſuris, & pœnis, quas ii omnes, & ſinguli, qui præmiſſa perpetraverant, ſive aliàs in illis culpabiles fuerant, quovis modo incurrerant. In iiſdem porrò literis pium Eccleſiæ morem ſecuti, quæ recurrentibus ad ipſam poſt exceſſum cum humilitate filiis ſe propitiam exhibere ſolet, & benignam, Dilectis Filiis Noſtris Joſepho, & Franciſco S.R.E. Cardinalibus Archinto, & Pignatello nuncupatis, Metropolitanarum Eccleſiarum Mediolanenſis, & Neapolitanæ ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica reſpectivè Præſulibus, facultatem conceſſimus omnes, & ſingulos prædictos, ſeu illos ex eis ad ſe recurrentes, qui veræ pœnitentiæ ſigna oſtendiſſent, à Cenſuris, & pœnis ſupradictis in forma Eccleſiæ conſueta miſericorditer abſolvendi, prout fuſiùs ex earumdem literarum exemplis percipietis, quæ à Secretario Brevium noſtrorum Secretorum mox legentur.

Hìc ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Oliverius Secretarius Brevium Secretorum Sanctitatis Suæ, & legit Brevia prædicta, quorum abſoluta lectione Sanctiſſimus reaſſumpſit in hæc verba:

Facultate igitur ſibi, ut audiſtis, attributâ utentes ambo Cardinales prædicti abſolutionis beneficium juxta formam in noſtris literis traditam iis impenderunt, qui propter præmiſſa culpabiles ea, qua par erat, humilitate, ipſomet Carolo Rege eos ad id excitante, abſolvi petierunt, quos inter complures

fuere ex præcipuis utriuſque Dominii Miniſtris, quemadmodum documenta ab eiſdem Cardinalibus eâ de re ritè confecta, & ad Nos authenticè tranſmiſſa teſtantur. Demùm nonnullos libros, & ſcripta jam pridem typis vulgata, quibus eâ potiſſimùm Edicta, & Decreta propugnantur, per quæ ſecularis poteſtas, ut diximus, exterorum Beneficia ſequeſtro committi mandaverat, per alias noſtras in ſimili forma Brevis heſterna die promulgatas literas damnavimus, & prohibuimus, meritâque, ac gravi Cenſurâ confiximus, ut ita illata Eccleſiæ gravamina cumulatiùs ſarcirentur, omnibuſque perſpectum fieret non aliàs eidem Carolo Regi, etiam quoad ditiones, quas tenet, Regiorum Jurium uſum à Nobis admiſſum fuiſſe, niſi poſtquam Eccleſiæ, quoad Edicta, & Decreta præfata, uſquequaque ſatisfactum fuiſſe compertum eſſet, quemadmodum Nobis ab initio propoſuimus, ac poſtmodum in ejuſmodi propoſito conſtanti ſemper animo permanſimus. Hæc Vobis, VENERABILES FRATRES, qui Paſtoralem ſolicitudinem noſtram in Sanctæ Dei Eccleſiæ adminiſtratione operâ, & conſilio ſublevare non prætermittitis, communicanda hodie exiſtimavimus, tum ut juſtum hinc gaudium capiatis, ubereſque Nobiſcum D. O. M. gratias agatis, quod dederit Regi cor docile ad faciendas juſtificationes ſuas: tum ut enixas veſtras aſſiduis noſtris precibus adjungere velitis apud Patrem Miſericordiarum, quatenus ſua cœleſti ope eos ſimiliter conatus noſtros juvare non dedignetur, quos nullis parcentes laboribus indeſinenter impendere non deſiſtimus, ut in aliis quoque, quæ ſunt multa, ac etiam ab aliis, qui ſunt multi, quæ Dei ſunt, & Eccleſiæ, Deo, & Eccleſiæ reddantur.

His peractis deventum fuit ad præconia, & propoſitiones plurium Eccleſiarum, quibus abſolutis Sanctitas Sua iterum allocuta fuit DD. Cardinales in hæc verba:

VE-

VENERABILES FRATRES.

VAcat adhuc Legatio Ferrariæ per translationem, quam inde fecimus, Dilecti Filii Noſtri Laurentii S. R. E. Cardinalis Caſoni ad Legationem Bononienſem; cùm eas, quas Dilectus etiam Filius Noſter Laurentius ejuſdem S. R. E. Cardinalis Corſinus allegavit, rationes, ne ad ejuſmodi munus, quod ei, ut benè noſtis, commiſeramus, ſuſcipiendum adigeretur, probandas, atque admittendas eſſe duxerimus. Ad eamdem proindè Ferrarienſem Legationem transferre nunc intendimus à Legatione Romandiolæ Dilectum pariter Filium Noſtrum Thomam Cardinalem Ruffum, qui hanc Romandiolæ Legationem non quidem à multo tempore, ſed multa cum laude adminiſtrat. XXIX.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ transferimus à Legatione Romandiolæ ad Legationem Ferrariæ præfatum Cardinalem Ruffum ad triennium cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 7. Maji 1710.

ARGUMENTUM.

Expoſitis primùm iis, quæ decernenda cenſuerat de Pacificationis tractatu ab Auguſto Poloniæ Rege dudum cum Svecis inito: tum etiam iis, quæ idem Rex egerat, ut inuſtam ex eodem tractatu Regio Nomini labem prorſus abſtergeret, & Pontificiæ voluntati obſequeretur: DD. Cardinalibus ſuſceptum conſilium aperit præficiendi viduatis Poloniæ Eccleſiis perſonas, pro quibus idem Rex de more ſupplicaverat. Demum plura ſubjicit admodùm honorifica de filiali ipſius Regis in Sanctam Sedem obſequio, ac de Regia deliberatione adjungendi quamprimum Principi ejus nato pios, proboſque viros, qui illum orthodoxæ Fidei præceptis, ac ritibus imbuant.

VENERABILES FRATRES.

XXX.

Uartus jam labitur annus, ex quo, non ſinè gravi animi noſtri dolore, Eccleſiis in Regno Poloniæ exiſtentibus, quas ſuis intereà deſtitui Præſulibus contigit, novos Epiſcopos præficere, ob notas nimiùm illius Regni perturbationes, intermiſimus. Elapſis porrò menſibus ubi primùm à Svecis improſperè pugnatum fuiſſe percepimus, optatam tandem tranquillitatem ab Eo, qui potens eſt ſtatuere procellam in auram, & facere fluctus ejus

file-

ſilere, eidem Regno reddendam eſſe ſperantes, adveniſſe jam tempus exiſtimavimus, quo Eccleſias præfatas à diuturnioris viduitatis incommodis vindicaremus. Verùm cùm ex priſco hujus Sanctæ Sedis more, Polonorum Regum pro idoneis perſonis, quæ dictis Eccleſiis præficiendæ ſunt, ſupplicantium preces eamdem Sedem exaudire conſuetam eſſe cogitaremus, illius profectò Regis ſupplicationibus hac in re minimè annuendum eſſe credidimus, cujus nomine infelix ille, ac ſanè ultra quàm ſatis eſt, pervulgatus, pacificationis tractatus initus noſcebatur, quo graviſſima non minùs orthodoxæ Fidei, quàm Eccleſiaſticæ libertati detrimenta inferri compertum fuerat: niſi priùs non modò Regem ipſum, expreſsâ tractatus hujuſmodi damnatione, ab hac turpiſſima labe purgari contingeret, ſed & ipſa tractatus damnatio Apoſtolici noſtri judicii acceſſione robur, ac pondus acciperet. Idcircò, tametſi omnium ſermone notum eſſet tractatum illum pravâ operâ, ac malâ fide, ſeu potius proditione Commiſſariorum à Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Auguſto Poloniæ Rege Illuſtri conſtitutorum conflatum fuiſſe, atque hoc ipſum idem Rex publicè editâ ſuæ mentis declaratione univerſo terrarum Orbi teſtatum, atque perſpectum eſſe voluerit, nihilominus id Nos minimè ſufficere reputantes, ſtatim ac ipſum Auguſtum Regem redeundi in Poloniam conſilium ſuſcepiſſe audivimus, noſtras ad eum literas, compluribus ex Fraternitatibus Veſtris ita ſuadentibus, ejuſmodi in re dandas eſſe cenſuimus, juxta exemplum, quod à Secretario Brevium noſtrorum Secretorum mox legetur.

Hic ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Oliverius Secretarius Brevium Secretorum Sanctitatis Suæ, ac Breve Poloniæ Regi ſcriptum die 21. *Septembris* 1709., *quod brevitatis gratia omittitur, alta voce perlegit; cujus abſolutâ lectione Sanctiſſimus Orationem reaſſumpſit in hæc verba:*

Ex-

Excepit Rex ſingulari in hanc Sanctam Sedem devotione Literas noſtras, ſupremoque ejuſdem Sedis judicio ſe humiliter ſubmittens, nuperrimè ita reſpondit.

Hìc idem R. P. D. Oliverius Regium reſponſum legit Varſaviæ datum die 2. Aprilis proximè præteriti, quo perlecto Sua Sanctitas allocutionem ſuam ita proſecuta fuit :

Ex iis jam, quæ audiviſtis, abſterſam non modò, ac penitùs deletam quamcumque maculam, quæ Regio nomini ex Tractatu Altranſtadenſi quoquo modo irrogata cenſeri poterat, planè conſpicitis; ſed indè Regem ipſum datam ſibi opportunitatem filiale ſuum in hanc B. Petri Cathedram obſequium uberiùs oſtendendi, ſyncerumque, quo fervet, pro Catholica Religione zelum non ſolùm verbis, ſed etiam re ipſa apertiùs declarandi, prompto, ac libenti animo amplexum fuiſſe, gaudere Vos cernimus. Verùm, ut gaudium hoc veſtrum plenius ſit, & cumulatius, latere Vos nolumus, quæ priùs idem Auguſtus Rex binis ſuis ad Nos die ſexta Octobris elapſi anni, ac die 10. Februarii proximè præteriti reſpectivè datis Literis ſcripſerat, ex quibus & gratum, ac devotum in Nos, & hanc Sanctam Sedem ejus animum, quemadmodum & illum ex aliis præfati Regis ad unumquemque veſtrum conſcriptis, ac Vobis, ut audivimus, nuper redditis Literis conjicere potuiſtis, abundè percipietis: ac inſuper (quod ſanè valdè notandum eſt, Vobiſque perjucundum erit) falſa prorsùs fuiſſe, & eſſe, quæ de quibuſdam pactionibus non minùs Catholicæ Religionis rationibus quàm Reipublicæ Polonæ juribus, ac libertati adverſantibus ab ipſomet Rege occaſione ſui in Poloniam reditus cum Acatholicis Principibus, ut ferebatur, initis vulgata fuerant, ſatis ſuperque intelligatis. Legantur igitur etiam hujuſmodi Literæ.

Perlectæ hìc fuerunt à prædicto R. P. D. Oliverio duæ Regiæ Epiſtolæ linguâ Italicâ ad Sanctitatem Suam dudum, nempe

die

die 6. Octobris elapſi anni, ac die 10. Februarii proximè præteriti reſpectivè datæ, quibus lectis Sanctitas Sua ſequentibus verbis Orationem ſuam abſolvit:

Abſtinemus nunc ab iis prætereà commemorandis, quæ idem Auguſtus Rex urgente potiſſimùm rem hanc apud ipſum Dilecto Filio Annibale Albano noſtro ſecundùm carnem Nepote, de mito à ſe conſilio adjungendi quamprimum Principi ejus nato pios, ac probos Viros, qui illum orthodoxæ Religionis præceptis, ac ritibus imbuant, non ita pridem ad Nos fusè perſcripſit, ſuamque ea de re Nobis Regiam fidem diſertis verbis obſtrinxit; id enim ad eam differimus diem non longè, ut ſperamus, Deo propitiante, abfuturam, qua hujuſmodi conſilium omninò peractum, impletumque fuiſſe perceperimus: Interim ex iis, quæ retulimus, ſatis luculenter Vobis perſpectum fore confidimus Auguſtum Regem abundè promereri, ut pro iis, qui viduatis in ejus Regno Eccleſiis de more præficiendi erunt, Paſtoribus Regias ejus preces ex conſueta hujus Sanctæ Sedis benignitate exaudire diutiùs non differamus. Nec ſanè abſque Divinæ Providentiæ conſilio eveniſſe arbitramur, ut jamdiù vacanti Cracovienſi Eccleſiæ hac ipſa die S. Stanislao ſacrâ, qui tanta illi cùm ſanctitatis, & paſtoralis ſolicitudinis laude præfuit, Præſulem conſtituamus: inde etenim felix accipimus omen fore, ut tam is, quem eidem Eccleſiæ Cracovienſi mox præficiemus, quàm reliqui ad alias dicti Regni Eccleſias ſive hodie, ſive in poſterum promovendi, ejuſdem Sanctiſſimi Epiſcopi, ac Martyris virtutes, & exempla ſibi imitanda proponant, ejuſque potiſſimùm ope, qui præcipuus Poloniæ Patronus habetur, à Patre miſericordiarum conſequantur, ut pacatis penitùs, quæ idem Regnum tamdiù jactarunt, diſſidiorum, ac bellorum fluctibus, priſtina demùm illi quies, ac plena ſerenitas reſtituatur, atque indè Regius animus in dies magis inflammetur ad ea alacriùs peragenda, quæ Chriſtia-

næ

næ Reipublicæ, & Catholicæ Eccleſiæ læta eſſe poſſunt, & ſalutaria.

His peractis deventum fuit ad propoſitiones, & præconia plurium Eccleſiarum, inter quas primò idem Sanctiſſimus propoſuit Eccleſias Kiovien., & Halicien. Ritus Græci iuvicem unitas, ac ſubindè Cracovienſem, & Poſnanienſem in Regno Poloniæ.

IN

Singulariter in Spe Constituisti me. Ps.4

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 19. Maji 1710.

ARGUMENTUM.

Sacro Collegio nunciat Antonium Ulricum Ducem Brunſuicenſem, & Luneburgenſem, ejuratâ palàm Lutheranâ hæreſi Catholicam Religionem ſuſcepiſſe.

VENERABILES FRATRES.

Hriſtus Dominus majus gaudium eſſe dixit in Cœlo, & coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia. Ut hoc ipſum gaudium hodie percipiatis, conſentaneum arbitramur ex hoc loco palàm edicere, quod famâ ipsâ nunciante Vobis jam innotuiſſe non dubitamus, videlicet Dilectum Filium Nobilem Virum Antonium Ulricum Ducem Bruſuicenſem, & Luneburgenſem, inclytæ ſuæ ſtirpis longè omnium Principem, & Caput, magno non tam annorum, quàm ſingularium animi dotium numero ſpectabilem Senem, ob illuſtria Regiarum Affinitatum decora præclarum, ob excelſæ, ac non vulgariter XXXI.

eruditæ mentis ornamenta præſtantem, nullo præcipitis conſilii incitamento commotum, nulla ingenii levitate, ſive inconſtantia impulſum, nulla temporalis ſui commodi illecebra allectum: poſt diuturnam complurium annorum deliberationem, poſt præviſum ingruentium ſibi diſcriminum, ac moleſtiarum graviſſimum cumulum, ſola agnitæ veritatis ratione excitatum, ſola ſupernæ gratiæ illuſtratione perfuſum, ſolo demum animæ ſuæ ſalutis deſiderio incenſum, Lutheranæ hæreſeos, in qua natus, & educatus fuerat, erroribus ejuratis, Catholicam Religionem, ac fidem amplexum fuiſſe. Quatuor profectò ante menſes fauſtiſſimum hunc eventum Vobis nunciare potuiſſemus, quippe qui per id temporis nedum à Dilecto Filio Annibale Albano noſtro ſecundùm carnem Nepote, qui ſuis in eum finem collatis ſtudiis oblatam ſibi opportunitatem orthodoxæ Religionis cauſam agendi captare non omiſit, ſed etiam ab ipſomet Duce ſuis ad Nos die 11. Januarii proximè præteriti datis literis ſignificatus fuerat. Verùm quia idem Dux rem hanc ad aliquod tempus ſilentio tegi majorem in modum exoptavit, ab ea tunc Vobis aperienda abſtinuimus; non tamen propterea abſtinuimus à prædicto Duce enixis adhortationibus excitando, ut grandi illa fretus charitate, quæ foràs mittit timorem, mirabilia, quæ in eo fecit Dominus, quamprimum evulgare non formidaret; & ſanè paternis hiſce monitionibus noſtris abſque ulla cunctatione morem gerens optimus Princeps, acerbis, & adverſis quibuſcumque, quæ ſibi ſubeunda fore probè intelligebat, magna animi virtute contemptis, Lutheranam denuò hæreſim in Bambergenſi Civitate palàm ejuravit, publicamque emiſit fidei profeſſionem in manibus Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Moguntini S. R. I. Principis Electoris, qui ejus rei authenticum documentum à compluribus teſtibus ſubſignatum ad Nos miſit, atque edita ea occaſione à præfato Duce magnâ cum animi ſui tranquillitate eximiæ pietatis argumenta luculenter

ter explicavit. Cùm itaque, benedicente Domino, prosperè jam confecta res sit; diutius nunc Nobis cunctandum non esse duximus, quin eam Vobis apertè indicaremus. Literæ igitur ejusdem Ducis ad Nos scriptæ, ac illæ itidem, quas ad eum rescripsimus, perlegantur.

Hìc perlectæ fuerunt ab eodem R. P. D. Oliverio duæ epistolæ Sanctissimo perscriptæ à D. Antonio Ulrico Duce Brunsuicensi, unà cum literis in forma Brevis, quibus Sanctitas Sua ad illarum priorem rescripsit; quarum absoluta lectione Sanctitas Sua ita allocutionem suam absolvit:

Reliquum jam est, ut Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis, qui Ducem Brunsuicensem de tenebris vocare dignatus est in admirabile lumen suum, humiles, atque uberes gratias agamus ob maximum tam læto eventu gravissimis curis nostris levamen allatum, eumque enixè obsecremus, ut memorato Principi cœlestium donorum incrementa largiatur, quorum subsidio illorum plurimos, quos ipse habuit in suo errore socios, habere etiam possit in sua pœnitentia consortes.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 1. Decembris 1710.

ARGUMENTUM.

Quæ à Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duce piè non minùs, quàm juſtè peracta fuerant pro revocandis iis, quæ in Codice Leopoldo *nuncupato juſſu ejuſdem Ducis jampridem edito, & à Sanctitate Sua damnato adversùs Eccleſiæ jura continebantur, aliiſque inde ſecutis plenè emendandis, latè exponit.*

VENERABILES FRATRES.

XXXII.

Eptem jam lapſi ſunt anni, ex quo Codicem *Leopoldum*, nuncupatum, hoc eſt, Conſtitutiones quaſdam, ſeu Ordinationes nomine Dilecti Filii Nobilis Viri Leopoldi Lotharingiæ, & Barri Ducis pro juſtitiæ adminiſtratione editas, utpote Eccleſiaſticæ Immunitati Dei ordinatione, ac Canonicis Sanctionibus conſtitutæ non uno ex capite adverſantes prævio, ut par erat, maturo examine per noſtras in forma Brevis literas reprobavimus, earumque lectionem, retentionem, & uſum omnibus Chriſtifidelibus

libus pro muneris noſtri debito interdiximus. Subinde verò cùm Nobis innotuiſſet in vulgus circumferri quædam folia, quibus actus appellationis à Procuratore Generali Curiæ ejuſdem Ducis adversùs literas noſtras ſupradictas interpoſitæ non minùs Nobis, quàm Eccleſiæ ſummoperè injurioſus continebatur, illa ſimiliter damnavimus, & prohibuimus. Eidem porrò cenſuræ aliam poſt hæc editam præfati Ducis Conſtitutionem, quam additionalem, ſeu ampliativam vocarunt obnoxiam pariter declaravimus, quippe qua confirmari potius priores à Nobis reprobatæ Conſtitutiones videbantur, quàm emendari. Intereà Ducem ipſum, cujus inſuper nomine literarum noſtrarum adversùs eaſdem Conſtitutiones, actumque appellationis præfatum publicatio in ejus Ditionibus interdicta fuerat, paternè, ac ſedulò admonere non omiſimus, ut irrogatam Eccleſiæ injuriam repararet, inflicto mederetur vulneri, ſimulque conſcientiæ ſuæ conſuleret, ac Dignitati, quam non in evertenda, ſed in tuenda Eccleſiæ libertate, fovendis juribus, amplificandiſque privilegiis ſitam eſſe, & ipſe per ſe planè intelligere poterat, & ab inclytis Progenitoribus ſuis, qui pietate ſanè, & in Eccleſiam obſequio, quàm Principatu ipſo clariores extitere, uberiùs didicerat. Oſtendimus iteratis literis quàm turpe eſſet Catholicum Principem, ac præſertim Lotharingiæ Domus tot hujus Sanctæ Sedis beneficiis auctæ, à primo ſui regiminis limine ſacroſancta Miniſtrorum Dei jura impetere, libertatemque violare, ac veluti Principatus initia ab Eccleſiæ injuriâ auſpicari. Protulimus ſanctas veterum Patrum Regulas, quæ immunem à Laicorum Poteſtate Eccleſiam, ac Venerabilem Clerum ubique clamant, nihilque ad ſæculi Principes in Eccleſiaſticis negotiis præter reverentiam pertinere. Ediximus non imminutis, ſed auctis Clericorum in ſortem Domini vocatorum privilegiis florere Regna, firmari dominia, Sacerdotumque potiſſimùm precibus felicitati publicæ conſuli. Denunciavimus demum parata

rata ſuperni Judicis flagella, imminentemque Potentibus ſempiternam perniciem, ſi in Eccleſiam peccaſſent, eamque conquerentem minimè audiviſſent. Audivit eam tamen Religioſus Princeps, noſtriſque monitis excitatus, Conſtitutiones illas, quas inconſultò, ut credimus, & aliorum potius ſuggeſtione impulſus, ac ſubreptione deceptus promulgari permiſerat, in iis, quæ Eccleſiæ juribus adverſabantur, omninò abolere conſtituit. Hinc primùm quidem per Ablegatos ſuos, deindè verò datis etiam ad Nos literis novi Codicis editionem Nobis obtulit, quo veteris per Nos reprobati Codicis *Leopoldi*, nec non editæ ſubinde additionalis Conſtitutionis omnimodâ abrogatione præmiſsâ, nihil prorſus, de iis, quæ ad Eccleſiam ſpectant, ſtatueretur, ſed ea tantum, quæ ad ſeculare dominium; & regimen pertinent, præſcriberentur. Et ſanè ut promiſſis ſatisfaceret, fidemque ſuam hac in re liberaret, fermè ante tres annos veteri Codice cum ſua additionali Ordinatione penitùs revocato, ac deleto, novum edidit Codicem, ſimulque cavit, ne quidquam in illum induceretur, quod Eccleſiaſticam Juriſdictionem directè, vel indirectè reſtringeret. Novum hunc Codicem haud multo poſt Dux ipſe ad Nos miſit literis ſuis, quæ ex Gallico idiomate in Italicum fideliter verſæ à Secretario Brevium noſtrorum Secretorum mox legentur.

Hìc ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Oliverius Secretarius Brevium Secretorum Sanctiſſimi, legitque literas D. Ducis Lotharingiæ ex Gallico idiomate in Italicum verſas ad Sanctitatem Suam datas die 23. *Maji* 1708. *quarum abſoluta lectione Sanctitas Sua reaſſumpſit in hæc verba:*

Certiores prætereà Nos fecit idem Dux ſe literas illas, quibus dudum ejus nomine vetita fuerat promulgatio in ſuis Ditionibus literarum noſtrarum adversùs præfatum veterem Codicem editarum inſimul revocaſſe, tranſmiſſo ad id documento, quod nunc audietis.

Lecta hic fuit à prædicto R. P. D. Oliverio Epiſtola Encyclica ſimiliter ex Gallico idiomate in Italicum verſa, qua tranſmiſſus fuit per loca Ditioni D. Ducis Lotharingiæ ſubjecta novus Codex illius juſſu promulgatus anno 1708. *ea porrò perlecta Sanctitas Sua ſequentibus verbis ſuam allocutionem proſecuta fuit:*

His, quæ audiſtis, nondum adhuc Nobis, & Eccleſiæ à Duce Lotharingiæ plenè ſatisfactum fuiſſe arbitrati fuimus. Cùm enim in Mandato quodam, ſive Ordinatione, ut vocant, novo Codici præfixa diſertè decerni animadverterimus quoad ea, quæ in eodem novo Codice expreſſa minimè reperiebantur, obſervari debere Edicta, & Ordinationes Ducum Lotharingiæ, nec non Regulas, mores, & conſuetudines Regionis; valdè timuimus, ne ejuſmodi verbis attentis ea, quæ adversùs Eccleſiæ jura, & libertatem ante aliquot annos in Lotharingiæ Ditionibus innovata fuiſſe compertum eſt, etiam abolito, ac de medio ſublato vetere Codice, tamquam mores, & conſuetudines Regionis quibuſdam forſan etiam Edictis, & Ordinationibus innixas, præſervari contingeret. Prætereà in eorum abrogatione, quæ adversùs noſtras literas ſupradictas attentata fuerunt, ſpecialem, ac expreſſam illius appellationis, quam meritò damnavimus, revocationem deſiderari deprehendimus. Curavimus proindè ſuper his ab eodem Duce ea impleri, quibus plena Eccleſiæ reparatio haberi poſſet; Egit de his cum Miniſtris à dicto Duce deputatis Dilectus Filius Annibal Albanus noſter ſecundùm carnem ex Fratre Nepos, qui ſanè benè memor in ſuo ab Urbe diſceſſu non alias, quàm Eccleſiæ, ac Orthodoxæ Religionis cauſas ſibi à Nobis commendatas fuiſſe, rem totam feliciter perfecit. Quid porrò ipſe egerit, quid itidem egerit præfatus Dux, ut Nobis, & Eccleſiæ cumulatè ſatisfaceret, ex iis, quæ legentur, ac heſterna die per celerem Tabellarium ad Nos pervenerunt, abundè percipietis.

Hic

Hic idem R. P. D. Oliverius legit alias literas D. Ducis Lotharingiæ pariter ex Gallico idiomate in Latinum verſas ad Sanctitatem Suam nuperrimè, nempe die 18. Novembris proximè elapſi datas unà cum documentis inibi introcluſis. His perlectis Sua Sanctitas iterum ſuam Orationem reaſſumpſit, ut ſequitur:

His Lotharingiæ Ducis literis, quas audiviſtis, nuperrimè receptis, reſcribere illicò duximus in hunc ſenſum.

Hic perlectum fuit ab eodem R. P. D. Oliverio Breve Sanctitatis Suæ heſterna die datum, quo poſtremis D. Ducis Lotharingiæ literis reſponſum fuit. Brevi hujuſmodi lecto, Sanctitas Sua ita allocutionem ſuam abſolvit:

Dum læta hæc, VENERABILES FRATRES, inter tot triſtia, quibus circumdamur, hac hilari die, qua Vos in Aula iſta, poſtquam illa ſplendidius ornata fuit, primum alloquimur, Vobis nunciamus, liceat Nobis Chriſti Servatoris noſtri verba illa uſurpare: *Hæc locutus ſum Vobis: ut gaudium meum in Vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.* Uberes itaque agamus gratias Patri Miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, qui Duci Lotharingiæ, cui noſtræ, & omnium Veſtrum laudes meritò debentur, dedit cor docile, ut cognoſceret probum, ac ſapientem Principem minimè dedecere, ea, quæ minùs rectè geſta ſunt, retractare, majoriſque eſſe gloriæ malè acta corrigere, quàm illa cum Eccleſiæ, Deique offenſione propugnare.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 27. Aprilis 1711.

ARGUMENTUM.

Immaturum, ac verè inopinatum obitum cla. me. Joſephi I. Romanorum Regis in Imperatorem electi DD. Cardinalibus denunciat, eâque occaſione ad defuncti Principis laudem refert conſilium ab illo ſuſceptum Apoſtolicæ Sedi ea omnia, quæ obedientiſſimum S. R. E. Filium decebant, per Oratorem ſuum cumulatè exhibendi. Accepto ſiquidem à Majoribus ſuis more ſuas jam ad id literas miſerat ab eodem Oratore Sanctitati Suæ ſolemniter reddendas, aliaque omnia hac in re ita diſponi curaverat, ut quæ Romæ demum agenda ſupererant, antiquis Romanæ Eccleſiæ moribus plenè conformarentur.

VENERABILES FRATRES.

PEracerbum, ac ſanè luctuoſum nuncium immaturæ mortis cla. me. Joſephi, dum vixit, Romanorum Regis in Imperatorem electi per celerem Curſorem ad Nos nuperrimè allatum, ſinè mora Vobis hodie communicamus, non dubitantes unicuique Veſtrum communem eſſe dolorem, quem in hoc inopinato, ac funeſtiſſimo caſu ſupra omne id, quod dici poteſt, maximum experimur, ob ſummè periculoſam rerum, ac temporum con- XXXIII.

ditionem, qua illum contigiſſe cognoſcimus. Nec ſanè quiſquam non agnoſcit, (niſi ineffabilis Dei miſericordia in bonum monſtra convertat) quàm alieno Reipublicæ tempore electus Imperator, non relicto in ſpem ſucceſſionis Romanorum Rege, ab humanis deceſſerit. Ardet ſiquidem adhuc cum graviſſimo totius Europæ incendio maximè pertinax inter Chriſtianos Principes bellum, quo florentiſſimæ olim, nunc miſeræ, Chriſtiani Orbis Provinciæ tot per annos agitatæ, tamquam virgâ furoris Domini, affliguntur. Creſcunt quotidie plurimis in locis, & quod maximè dolendum eſt, etiam in ipſis Catholicorum Principum ditionibus, abſque ullo jam ſacrarum, & prophanarum rerum diſcrimine, Hæreticorum vires, & fraudes, in orthodoxæ Fidei verè deplorandam perniciem. Suecus præcipuè acceptis anteà cladibus irritatus, novo, & ingenti armorum apparatu ferociter inſtat, palàm minatur Poloniæ, ſed an alia etiam clam meditetur, ignoramus. Vocatus in ejus auxilium Turcarum Tyrannus, collectis tot Provinciarum, & Regnorum, quæ Tyrannide ſuâ opprimit, viribus, Chriſtianas Regiones ſtragibus involvere, ſuæque perfidiæ abominationem in agro Dei viventis plantare, & latiùs propagare molitur. Sed quid jam mala ſingula recenſere contendimus? Ubique terror, ubique luctus, ubique deſolatio: undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; ita ut ſi umquam aliàs, certè nunc gravem manum Domini ſentiamus, flagitiis hominum ejus iram jugiter provocantibus. Accedit ad augendum dolorem noſtrum, quòd electus Imperator obiit nondum peracto opere, in quod, ut antiqua hujus Sanctæ Sedis jura vindicaremus, vigilias plurimas, plurimoſque labores inſumpſimus; Decreverat ſcilicet Ille jampridem (quod ad defuncti Principis laudem commemoramus) accepto à Majoribus ſuis more, ea omnia, quæ obedientiſſimum S. R. E. Filium decent, per ſuum apud Nos, &

eam-

eamdem Sedem Oratorem, cumulatè Nobis præſtare; quinimò ſuas etiam ad id jam literas miſerat, ab eodem ejus Oratore Nobis reddendas, quibus quidquid olim poſt ſolemnem eorumdem illius Majorum in Romanorum Reges, & Imperatores electionem Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri facere, & concedere conſueverunt, id totum à Nobis ſimiliter fieri, ſibique concedi debitâ reverentiâ poſtulabat. Nec ipſi Joſepho hac in re ullatenus defuiſſent Pontificiæ charitatis, atque authoritatis argumenta illa, quæ ejus Majoribus delata fuerunt. Re ipſâ tamen, Deo ſic diſponente, opus iſtud minimè perfectum fuit non aliâ quidem ratione ab Oratore Cæſareo dilatum, cùm cæteroqui alia omnia eſſent in promptu, niſi ut ſolemniori pompâ, pro qua paranda diuturniori tempore indigebat, demandatum ſibi munus exequi poſſet. Cumulum demum addit dolori noſtro, quòd idem electus Imperator diem ſuum clauſit extremum, non expleto conſilio, quod iniverat, reſtituendi Nobis, & S. R. E. Civitatem noſtram Comacli, quam ejus militares copiæ ante tres annos, ut benè noſtis, occupaverant. Neſcimus an id fecerint peccata noſtra, vel potius Deus ob inſcrutabilia ſua judicia hoc ipſum evenire permiſerit, ut clariùs ſemper addiſcamus, cum de iis agitur, quæ ad Animæ ſalutem pertinent, non eſſe nectendas moras, neque expectandam altitudinem illam diei, quam David metuebat, ſed abſque ulla cunctatione, celeriter, diluculò, ac feſtinanter ſecuritati conſcientiæ conſulendum. Cùm tamen non tam ea, quæ, ut ferunt, defunctus Princeps hac in re agere ſeriò conſtituerat, quàm quæ de pio, conſtanti, ac Chriſtiano illius obitu Nobis nunciata fuerunt, ſperare Nos faciant eum miſericordias Domini expertum fuiſſe, Chriſtianæ charitatis debito urgemur, ut ſacrificiis, orationibus, & obſecrationibus illius Animæ ſolatium comparemus. Id porrò & privatim Nos ipſi jam agere cœpimus, Voſque

unà Nobiſcum proſequi optamus, hoc ipſum publicis ſuo tempore in Pontificio noſtro Sacello exequiis ſtatâ die Vobis indicenda juxta Prædeceſſorum noſtrorum morem ſolemni ritu præſtituri. Rogemus interim Eum, qui dominatur poteſtati maris, & motum fluctuum ejus mitigat, ut non reſpiciens peccata noſtra, ſed ſuam bonitatem, avertat mala à populo ſuo, converſiſque in pacem, ac tranquillitatem illismet periculis, quæ nuper deflevimus, ſuſcitet ſibi Servum fidelem, qui defuncto Joſepho ſuccedens, turbatiſſimis hiſce rebus opportunè ſubveniat, eaque feliciter peragat, quæ Apoſtolicæ Sedi tot injuriis vexatæ, Eccleſiæ tot vulneribus laceræ, ac Chriſtianæ Reipublicæ tot calamitatibus afflictæ læta eſſe poſſint, & ſalutaria.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 11. Maji 1711.

ARGUMENTUM.

Galliæ Delphini obitum DD. Cardinalibus nunciat, commemoratiſque ejus virtutum laudibus exequias pro refrigerio illius Animæ in Pontificio Sacello de more celebrandas indicit.

VENERABILES FRATRES.

Ignificavimus Vobis in præterito Conſiſtorio acerbam jacturam, quam ante paucos dies fecerat Germanicum Imperium, ſuo ſibi Capite immaturè nimis erepto. Aliam hodie æquè inopinatam, quam florentiſſimum Galliæ Regnum fecit, itidem jacturam, amiſſo nuperrimè ejuſdem Galliæ Delphino, Chriſtianiſſimi Regis Primogenito, non ſinè gravi paterni cordis noſtri dolore Vobis ſimiliter nunciamus. Utramque mors clariſſimam Domum æquo pede pulſavit, ambobus Principibus eâdem ferme hebdomadâ pari feſtinatione, nec ſanè diſpari morbo ſublatis. Sic ludens in orbe terrarum divina Sapientia novis Nos in dies edocet exemplis nihil tam ſublime eſſe, & excelſum in terris, quod fluxum, & caducum non ſit, ut tandem non alibi corda noſtra figere addiſcamus, quàm ubi vera ſunt gaudia in æternum manſura. Quomodò enim, ubi hæc evenire conſpicimus, fieri unXXXIV.

quam

quam poteſt ita hominum animos terrenarum rerum externâ ſpecie, ac fuco deliniri, voluptatum illecebris irretiri, ſenſuum lenociniis capi, dignitatum, atque honorum fulgore perſtringi; ut quem ad exitum hæc omnia feſtinent, quem ad ſcopulum alliſa, quæcumque hîc ſuſpicimus, brevi frangantur: quas demum in tenebras, & ſolicitudinem cujuſvis celſioris humani faſtigii claritudo, ac majeſtas redigatur, vel ſtultè non animadvertant, vel ineptè diſſimulent, vel temerè inficientur? Sed jam unde noſtra inſtituta fuit Oratio, revertamur. Ludovicus Galliæ Delphinus Regis filius, Regis itidem Parens, ardenti, quod cum lacte hauſtum ſemper retinuit, conſervandæ, ac propagandæ orthodoxæ Religionis ſtudio commendatus, eximia animi moderatione, comitate, prudentiâ, ac conſtanti potiſſimùm in Regium inclytum Genitorem, quam in provectiori etiam ætate ſemper exhibuit, reverentiâ ſpectatus, relicto univerſis populis ſui deſiderio planè ſingulari, ab humanis deceſſit. Illi igitur extremum paternæ noſtræ charitatis officium præſtituri, nondum adhuc iis perſolutis Juſtis, quæ Romanorum Regi in Imperatorem Electo nuper de more decrevimus, alias nunc exequias indicere cogimur pro refrigerio animæ ipſius Delphini die Vobis nunciandâ in Pontificio noſtro Sacello celebrandas. Sequimur hac in re exemplum fel. rec. Pauli Papæ III. Prædeceſſoris noſtri, qui anno 1536. alteri tunc temporis defuncto Galliæ Delphino ſolemni ritu de tunc exiſtentium S.R.E. Cardinalium unanimi conſilio, & aſſenſu ſimiliter parentavit. Hæc Vobis, VENERABILES FRATRES, confeſtim, & abſque ulla mora ex hoc loco edicere æquum duximus, ut quemadmodum Nos ipſi privatim jam egimus, ita & Vos interim pro ea, qua ſublimes Principes, qui in Catholicæ Eccleſiæ communione piè obierunt, proſequi apud Deum ſoletis, pietate veſtris quoque ſuffragiis defuncti Principis Animæ æternam pacem comparare ſtudeatis.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 14. Octobris 1711.

ARGUMENTUM.

Obitum piæ recordationis Caroli Thomæ S. R. E. Cardinalis de Tournon Macai in Sinarum Imperio die 8. Junii 1710. ſecutum DD. Cardinalibus communicat, ejuſque præclaris in Eccleſiam, Apoſtolicam Sedem, Catholicamque Religionem meritis fusè commemoratis, exequias pro ſuffragio ejus Animæ in Pontificio Sacello ſolemniter celebrandas indicit. Deputat deinde ſuum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum Joſephum Renatum S. R. E. Diaconum Cardinalem Imperialem ad Carolum III. Hiſpaniarum Catholicum, nec non Hungariæ, & Bohemiæ Regem Illuſtrem, qui nuperrimè è Civitate Barchinonenſi in Italiam profectus Mediolani conſtiterat, & hinc Germaniam repetere conſtituerat.

VENERABILES FRATRES.

SÆpius Nos ex hoc loco publica mala deflevimus: domeſticam hodie noſtram, ac veſtram itidem jacturam dolemus; Niſi tamen & publica dici illa mereatur, quæ cùm noſtra, & veſtra ſit, cenſeri etiam debet univerſæ Eccleſiæ calamitas. Benè jam intelligitis de acerbo Nos obitu Caroli Thomæ Cardinalis de Tournon verba facturos. Amiſimus, VENERABILES FRATRES, amiſimus orthodoxæ Religionis zelatorem maximum: Pontificiæ autho- XXXV.

rita-

ritatis intrepidum defenſorem: Eccleſiaſticæ diſciplinæ aſſertorem fortiſſimum: magnum Ordinis Veſtri lumen,& ornamentum. Amiſimus Filium noſtrum, Fratrem veſtrum: plurimis, quos pro Chriſti cauſa ſuſcepit, laboribus attritum: diuturnis, quas pertulit, ærumnis confectum; contumeliis, quas forti, magnoque animo ſuſtinuit, innumeris, velut aurum in fornace probatum. Hæc tamen ſi rectè perpendantur, tantum abeſt, ut ad cumulandum luctum noſtrum ſint apta, ut potius omnem doloris ſenſum ab animis noſtris abſtergant. Neque enim juxta monitum Apoſtoli contriſtari de dormientibus debemus, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Pretioſam in conſpectu Domini piiſſimi Cardinalis mortem fuiſſe juſtè ſperare Nos jubet eximius ille Catholicæ Fidei propagandæ zelus, quo ubi primum ad Apoſtolicum Miniſterium à Deo vocatus per Nos fuit, illicò humiliter obtemperans, Aulam, Urbem, Parentes, Conſanguineos, Amicos, eaque omnia, quæ natura cuique gratiſſima facit, alacri, ſicut noſtis, animo dereliquit, longiſſimoque itineri, ac periculorum pleno ſe committere non dubitavit. Sperare Nos jubet ardens illa charitas, qua tot remotiſſimis terrarum, mariumque ſpatiis peragratis, numquam fecit animam ſuam pretioſiorem, quàm ſe: ac foras miſſo timore locutus fuit de teſtimoniis Domini in conſpectu Regum, & non fuit confuſus: ſemperque in tribulationibus gaudens, pergratum Deo, & Angelis ejus ſpectaculum exhibuit. Sperare Nos jubet excelſus ille humanarum rerum contemptus, quo ampliſſimam Dignitatem, ad quam, ſuis ita abundè exigentibus meritis, à Nobis evectus fuerat, & à qua nihil aliud, quàm pro Eccleſia, & pro Chriſto uſque ad Sanguinis effuſionem inclusivè imperterritè decertandi onus, ac monitum acceperat, dimiſſurum ſe potius, quàm in Europam, Miſſionibus Sinicis derelictis, remigraturum ſeriò ad Nos ſcripſit, & palàm profeſſus fuit. Sperare Nos jubet ſingularis illa pietas, qua in ſu-

pre-

premis ſuis tabulis, relictâ pauperibus pecuniâ, conſanguineis legatâ Cruce, propagandæ Fidei Opus verè ſanctiſſimum ex aſſe ſcripſit hæredem: illuſtre Nobis documentum relinquens, quæ, & qualia eſſe debeant eorum teſtamenta, qui de Altari vixerunt, & Eccleſiæ Miniſteriis ſe addixerunt. Sperare Nos demùm jubet invicta illa Sacerdotalis roboris conſtantia, qua Vir verè Apoſtolicus, tametſi ſuſtentaretur pane tribulationis, & aquâ anguſtiæ, officium tamen ſuum nunquam dimiſit: ac non minùs diuturnæ cuſtodiæ injuriis, quàm aliis graviſſimis vexationibus ad ſupremum uſque vitæ ſpiritum fortiter toleratis bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit. Quid ergo reliquum eſt, niſi quod & meritò etiam ſperemus repoſitam ei fuiſſe coronam juſtitiæ. Ita ſanè, & juſtè ſperare Nos convenit. Verùm quia id facit humana fragilitas, ut de mundano pulvere etiam religioſa corda ſæpè ſordeſcant, noſtra pro defuncti Cardinalis animâ ad Deum preces, atque ſuffragia deeſſe, Chriſtianæ charitatis ratio non patitur. Id & privatim hactenùs Nos ipſi ſæpius agere non omiſimus, ac, ut aliquid præter morem erga inſuetæ virtutis Viri memoriam peragamus, publicis inſuper in Pontificio noſtro Sacello Exequiis, ſtatâ die Vobis indicendâ, ſolemni ritu præſtabimus. Firmam interim in ſpem adducimur fore, ut Cardinalis de Tournon Sinenſem Miſſionem, quam vivens dilexit, etiam è cœleſti ſtatione benigno vultu reſpicere non dedignetur, ſuaque ope id in primis efficiat, ut quod ipſe anxiis adeò votis exoptavit, avulſis tandem ex illo agro, quæ inimicus homo ſuperſeminavit, zizaniis, Catholicæ Fidei ſeges illic refloreſcat, & ad majorem Divini nominis gloriam uberiùs in dies multiplicetur.

IN EODEM CONSISTORIO.

Absolutis propositionibus, & præconiis variarum Ecclesiarum, Sanctitas Sua ita rursus locuta fuit.

VENERABILES FRATRES.

XXXVI. CUm Charissimus in Christo Filius Noster Carolus Hispaniarum Catholicus, nec non Hungariæ, ac Bohemiæ Rex Illustris, binis ad Nos datis literis, filialis suæ in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotionis significationibus abundè refertis, quas Dilectus Filius Nobilis Vir ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem præfatam Extraordinarius Orator Nobis reddidit; prioribus quidem de consilio, quod susceperat, è Civitate Barchinonensi brevi in Italiam, ac indè in Germaniam transmittendi: posterioribus verò de felici suo ad oram Saonensem appulsu, certiores Nos fecerit: Nos ne opportunitatem hanc dicto Regi declarandi, quæ, & quanta sit paterna nostra in eum charitas, irritam dimittamus, Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplis, quæ aliàs etiam Nos ipsi, sicuti nostis, secuti fuimus, adducti, ad eumdem Carolum Regem, quem ante duos annos hac ipsa die, videlicet decima quarta Octobris, in Consistorio Nostro Secreto Hispaniarum Regis titulo nuncupare decrevimus, Nostrum, ac dictæ Sedis de Latere Legatum deputare intendimus Dilectum Filium Nostrum Josephum Renatum S. R. E. Diaconum Cardinalem Imperialem, cui eximiæ virtutes, ac in primis pietas, prudentia, integritas, aliæque præclaræ generis, atque animi dotes, ad amplissimum hoc munus è dignitate Apostolicæ Sedis gerendum egregiè suffragantur; ut quamprimum sic deputatus Mediolanum se conferat, nostram ibi Apostolicam Benedictionem Regi deferat, incolumem in Italiam adventum gratuletur, felix, faustumque in Germaniam, quam repetit, iter apprecetur, ac nostra demùm Illi explicet

vo-

vota, ut hoc idem ejus iter in exoptatæ publicæ tranquillitatis cedat auſpicium.

Quid Vobis videtur ?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra ſupradictum Joſephum Renatum Cardinalem Imperialem noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum deputamus, & declaramus ad præmiſſa peragenda, cum facultatibus, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 23. Decembris 1711.

ARGUMENTUM.

Creat S. R. E. Diaconum Cardinalem Annibalem Albanum Sanctitatis Suæ ex Fratre germano Nepotem, utriuſque Signaturæ Referendarium, Cameræ Apoſtolicæ Præſidem, ac nuper ad Tractum Rheni, aliaſque partes inferioris Germaniæ Nuncium Apoſtolicum extraordinarium.

VENERABILES FRATRES.

XXXVII. ONgo jam mortalis ævi ſpatio indolem, vitam, mores Dilecti Filii Annibalis Albani noſtri ſecundùm carnem ex Fratre germano Nepotis probare ſtuduimus, illumque, quemadmodum ferè ab ineunte ætate huic Apoſtolicæ Sedi ſingulari quodam cultu addictum novimus, ita ferventiori ſemper erga illam ſtudio incenſum multiplici experimento comperimus. Sperantes proindè eum illuſtribus Fraternitatum Veſtrarum exemplis perficiendum, Deo, & Eccleſiæ fructuoſiorem in dies exhibiturum eſſe famulatum, ampliſſimo Veſtro Cœtui illum adſcribere cogitamus. Cùm tamen è contra valdè Nos terreant verba illa Conſtitutionis

nis fel. rec. Innocentii XII. Prædeceſſoris noſtri, quibus cùm ea præſcribitur diſciplina, quæ quoad Nepotes, alioſque Conſanguineos Romanorum Pontificum ad Cardinalatum promovendos ſervanda eſt, ſatis apertè innuitur non alios ex iis ad hanc ſublimem Dignitatem aſſumendos eſſe, quàm quibus eximia ad id merita ſuffragantur, juſto timore corripimur, ne in ejuſmodi judicio ferendo carni, & ſanguini nimiùm indulgentes illius jurisjurandi, quo ab ipſo Pontificatus noſtri limine obſtricti reperimur, immemores videamur. Cœleſtem idcircò luminum Patrem ſuppliciter in primis rogamus, ut ſi quod agere meditamur, memoratæ Conſtitutioni, quam Nos uſque ad extremum vitæ ſpiritum inconcuſsè obſervare ſpopondimus, & nunc iterum Deo, & hominibus ſpondemus, quoquo modo repugnet, ſeu aliàs in noſtræ, aut etiam in ipſius Nepotis noſtri animæ perniciem ceſſurum ſit, adhærere faciat Omnipotens Dominus linguam meam faucibus meis, ne hac de re edendum de more Decretum pronunciare valeamus: Deindè Vos, VENERABILES FRATRES, enixè obſecramus, & in Domino obteſtamur, ut in tam gravi deliberatione labia veſtra non prohibeatis, ſed quâcunque humanâ ratione poſthabitâ, ac ſolum Deum præ oculis habentes, ſyncerè, ac liberè ſententiam veſtram feratis.

Quid itaque Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra creamus S. R. E. Diaconum Cardinalem Annibalem Albanum cum clauſulis neceſſariis, & opportunis. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO PUBLICO

Habito die 30. Januarii 1712.

ARGUMENTUM.

Excepit Dominum Cardinalem Joſephum Renatum Imperialem, qui ab Apoſtolica Legatione ad Carolum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum Mediolani obitâ feliciter ad Urbem redierat, & Sanctitatem Suam his verbis allocutus fuit:

BEATISSIME PATER.

Anctitatis Veſtræ mandatis obtemperans, Apoſtolicâ fretus Benedictione, Mediolanum me contuli, Catholico Hiſpaniarum Regi Carolo III. nuper in Imperatorem electo Sanctitatis Veſtræ nomine felicem in Italiam adventum gratulatus ſum, proſperumque eidem in Germaniam iter auſpicatus, paternæ benevolentiæ, ac intimæ Pontificiæ charitatis ſenſus ſimul expoſui. Præclara hæc Apoſtolicæ benignitatis argumenta filiali, qua par erat, devotione eximius pietate, & zelo Rex excepit, paratumque ſæpius ſe profeſſus eſt ad ea omnia erga Sanctitatem Veſtram, & Sanctam Sedem Apoſtolicam præſtanda, quæ obedientiſſimum Filium deceant; quam Regii animi propenſionem jam

non

non verbis tantùm, ſed & factis (quoad per tempus licuit) confirmavit. Quidquid demum in hac legatione feliciter geſtum eſt, id totum Sanctitati Veſtræ acceptum refero. Si quid verò minus proſperè, id tenuitati meæ tribuo; ſummæ autem Sanctitatis Veſtræ benignitatis erit ignoſcere.

Ad hæc Sanctitas Sua ita reſpondit.

VIdes, Dilecte Fili Noſter, quàm uberi lætitiæ ſenſu Urbs penè tota felicem tuum, & incolumem reditum Tibi gratuletur. Vides quàm effusè exultantes Venerabiles Fratres Noſtri, Collegæ tui, tuos in amplexus occurrant. Debentur hæc eximio zelo, ac ſingulari prudentiæ, quibus demandatam Tibi à Nobis provinciam magnificè, fideliter, ac prorsùs ex hujus Sanctæ Sedis dignitate expleviſti. Hinc & Nos ipſi, quemadmodum Tibi dudum abeunti paternâ charitate benediximus, ita nunc Te feliciter redeuntem eo, quo par eſt, grato animo expanſis ulnis complectimur: debitas D. O. M. gratias agentes, quòd Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter in Imperatorem Electus avitâ pietate imbutus Pontificiæ noſtræ in eum benevolentiæ officia, quæ ſibi à Te delata fuerunt, animo, ut aſſeris, adeò obſequenti exceperit, ut meritò ſperare poſſimus eum filiale illud ſtudium, quod in Nos, & Sanctam Romanam Eccleſiam tam diſertis proteſtatus eſt verbis, præclarioribus in dies reipsâ comprobaturum eſſe argumentis. XXXVIII.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 16. Martii 1712.

ARGUMENTUM.

Acerbum Galliæ Delphini obitum, qui alteri Delphino ejus Patri ante paucos menſes defuncto ſucceſſerat, DD. Cardinalibus nunciat, relatiſque ampliſſimè ejus laudibus, Exequias pro ſuffragio illius Animæ in Pontificio Sacello de more celebrandas indicit.

VENERABILES FRATRES.

XXXIX.

On adhuc exaruerant lacrymæ, quibus Gallia Delphinum ſuum Chriſtianiſſimi Regis Filium immaturâ morte ſublatum elapſo anno defleverat, cùm aliâ, & ſanè aſperiori acceptâ clade, quaſi reſciſsâ graviſſimi vulneris cicatrice, non tam novum ſuſcipere dolorem, quàm priſtinum vehementiùs continuare nuperrimè coacta fuit: erepto ſibi, erepto Eccleſiæ, erepto Orthodoxæ Religioni alio Delphino, extincti non ita pridem Deceſſoris ſui Primogenito, Regis Nepote inclyto, nec modò magnæ ſpei, ſed magnæ jam, & maturæ virtutis Principe, unanimi bonorum omnium voce laudatiſſimo. Acceſſit ad tanti cumulum mœ-

ro-

roris, quòd eodem elatâ funere lectiſſimâ ejus Conjuge, nonniſi ante ſex dies demortuâ, datoque per hæc Nobis grandi humanæ caducitatis exemplo, luctuoſum præbuerunt ambo ſpectaculum acerbiſſimæ calamitatis. Dum itaque allatum ad Nos hac de re triſtiſſimum nuncium, non ſinè maximâ paterni cordis noſtri amaritudine, Vobis hodie communicamus, non utique ambigimus, quin animos æquè veſtros ingenti dolore affecerit funeſtiſſima hæc non quidem unius gentis, aut Regni, ſed veriùs univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ jactura, quam in amiſſo Religioſiſſimo Principe prudentiâ, pietate, doctrinâ, animi magnitudine, potiſſimùm verò ſingulari in Eccleſiam cultu, filialique in hanc Sanctam Sedem obſervantiâ ſummoperè commendato, impenſiſſimè lugemus. Non minùs propterea ratione ducimur, quàm debito Chriſtianæ charitatis urgemur, ut ſacrificiis, orationibus, & obſecrationibus illius Animæ, cui mors terrenum abſtulit Regnum, cœleſte comparare ſatagamus. Id porrò & privatim Nos agere hactenus non prætermiſimus, & Vos unà Nobiſcum proſequi enixè optamus, hoc ipſum ſuo tempore publicis in Pontificio noſtro Sacello Exequiis, ſtatâ die Vobis indicendâ, ſolemni ritu præſtituri. Illum interim, per quem Reges regnant, ſuppliciter rogemus, ut ad publici doloris levamen tamdiù integrâ, vivacique ſenectâ ſoſpitem, & incolumem ſervet Chriſtianiſſimum Regem, quamdiù Regius Puer novus Delphinus ab eo educandus defuncti Patris virtutes exæquaverit, annos exceſſerit. Quæ ſanè res propè eſt una, quæ non minùs noſtras, quàm Galliæ lacrymas poſſet abſtergere, ac Nobis tandem perſuadere, ut ſpe Filii pari diſciplinâ inſtituendi extincti Parentis deſiderium leniamus.

IN CONSISTORIO PUBLICO

Habito die 20. Aprilis 1712.

ARGUMENTUM.

Consilium suum promovendi Canonizationem Beatorum Pii V., Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia Sacro DD. Cardinalium Collegio aperit, eorumque sententias exquirit.

VENERABILES FRATRES.

xL.

Niversam planè Christianam Rempublicam, tot undequaque calamitatibus pressam, sævisque potissimum, ac diuturnis bellorum procellis agitatam Apostolicæ charitatis oculis contemplantes, suspiria inter, & lacrymas cum Propheta Regio exclamare compellimur: *Terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me, sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.* Ubique terror, ubique luctus, ubique desolatio: undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; adeò ut novum propemodum, atque inauditum tot veterum discordiarum ærumnis inter Christianos populos additum videamus disidium, ut de suis quisque cladibus pugnet, & in hoc calamitatum certamine unaquæque gens aliarum miserias vicisse contendat. Quod tamen magis deplo-

ran-

randum eſt, atque dolendum, malorum hæc non ſunt ſumma noſtrorum. Timendum magis eſt, nec immeritò timendum, ne filiis tenebrarum, qui prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt, adnitentibus, deterior bello pax, hoc eſt, orthodoxæ Religioni maximè pernicioſa ita forſan ex inopinato coaleſcat, ut ingemiſcere cogamur: *Expectavimus pacem, & non eſt bonum: tempus medelæ, & ecce formido: tempus curationis, & ecce turbatio.* In tanto itaque rerum diſcrimine conſtituti, hinc bellorum damna ſentientes, indè pacis pericula formidantes, cor primùm, & oculos noſtros in montem excelſum, & ſanctum, undè omne Nobis auxilium affuturum confidimus, levare non prætermiſimus: enixè Dominum deprecantes, ut non contineat in ira miſericordias ſuas, ſed qui facit pacem in ſublimibus, & Reges in Thronis collocat, arctam non modò, & indiſſolubilem animorum concordiam, verùm, & parem Catholicæ fidei conjunctis viribus, & conſiliis tuendæ, ac propagandæ zelum Chriſtianis Principibus largiatur. Novos deindè, ac validos afflictis Eccleſiæ rebus apud Divinam bonitatem Patronos quærere decrevimus, qui ſcilicet ſcripti ſint in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, & conciliare cor Patris ad filios, adeò ut illorum ope & pacem in diebus noſtris à Domino dandam ſperare poſſimus, & ita dandam, ut non in Nos auctam cœleſtem indignationem, ſed verè placatam fuiſſe dignoſcamus. Animum propterea, ac ſtudia noſtra convertimus ad promovendas cauſas Canonizationis Beatorum Pii Quinti Summi Pontificis, Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia, quò eorum ſplendida merita univerſæ Eccleſiæ venerationi propoſita, ac veluti ſuper candelabrum collocata, luceant omnibus, qui in domo ſunt, ſciantque fideles populi ſibi in iis datum eſſe & calamitatum præſidium, & virtutum exemplar. De illorum idcircò præclaris geſtis, & eximiis miraculis narrationem, ſervato à Præ-

deceſſoribus noſtris more, in præſenti Conſiſtorio referri, & à Vobis audiri exoptamus.

Abſolutâ per D. Cardinalem de Abdua relatione Vitæ, Virtutum, & Miraculorum B. Pii V. Summi Pontificis, Sanctitas Sua DD. Cardinalium ſententias ſuper ejuſdem Beati Canonizatione exquiſivit his verbis.

EXcepiſtis, VENERABILES FRATRES, quas, & quantas Altiſſimus in Beato Pio Quinto virtutes collocaverit, & quàm mirabilis in eo fuerit, qui facit mirabilia magna ſolus. Placet igitur ne Vobis, ut ad tanti Pontificis, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus, adeôque in tempore iracundiæ eſſe poterit reconciliatio, ſolemnem Canonizationem juxta conſuetum Apoſtolicæ Sedis morem procedamus?

Reſponderunt omnes: Placet.

Poſtmodum abſolutâ relatione Virtutum, & Miraculorum B. Andreæ Avellini, ſic Sanctitas Sua locuta fuit.

INtellexiſtis, VENERABILES FRATRES, quàm præclarè Beatus Andreas Avellinus in omnibus ſe exhibuerit, ſicut Dei Miniſtrum, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta. Intellexiſtis pariter quàm illuſtribus Omnipotens Dominus ejus Sanctitatem teſtimoniis comprobaverit. Videtur ne itaque Vobis expedire, ut ad illius quoque Canonizationem ſolemni ritu deveniamus?

Approbaverunt omnes per verbum: Placet.

Similiter abſolutâ relatione de Beato Felice à Cantalicio, Sanctitas Sua ſubjunxit.

VENERABILES FRATRES. Ex iis, quæ audiſtis, perſpectum ſatis eſt, quomodo Beatus Felix à Cantalicio, qui non cognovit literaturam, introiverit in potentias Domini: Vir ſanè ſimplex, & rectus, ac timens Deum; quomodò itidem illius memoria

jam-

jamdiù ſit in benedictione populorum, qui illum verè Franciſci filium, hoc eſt, pauperem, & humilem, non tam heroicarum virtutum meritis inſignem, quàm illuſtrium miraculorum gloriâ præfulgentem, piâ devotione deprædicant. Placet ne igitur Vobis, ut ad ſolemnem illius Canonizationem juxta Eccleſiæ inſtitutum procedamus?

Concordibus ſuffragiis annuerunt omnes per verbum: Placet.

Denique abſolutâ relatione Virtutum, & Miraculorum Beatæ Catharinæ de Bononia, DD. Cardinalium ſuffragia ſequentibus verbis exquiſivit.

AUdiſtis, VENERABILES FRATRES, quàm ſingularibus patientiæ, humilitatis, obedientiæ, & flagrantiſſimæ charitatis experimentis Beatæ Catharinæ Sanctitas probata fuerit. Audiſtis ſimiliter quàm præclaris, & mirabilibus ſignis Divinus illam Sponſus decoraverit. Audiſtis demùm, quomodo heroicæ illius virtutes ita ejus corpus cœleſtibus imbuerint aromatibus, ut illud incorruptione quæſita, quaſi cinnamomum,& balſamum aromatizans, & quaſi myrrha electa, perennem dederit odorem ſuavitatis. Placet ne igitur Vobis, ut etiam ad illius ſolemnem Canonizationem ritè procedamus?

Unanimi conſenſu reſponderunt omnes: Placet.

IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

Habito die 6. Maji 1712.

ARGUMENTUM.

Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſuper Canonizatione B. Pii V. exquirit.

VENERABILES FRATRES.

xLi. Uanta eximiæ non minùs Sanctimoniæ, quàm Pontificiæ Dignitatis luce in Eccleſiæ Cęlo mirabiliter coruſcaverit Beatus Pius V., quanta itidem fecerit ipſe, & docuerit: adeôque quàm meritò vocandus ſit magnus in Regno Cœlorum, ſatis ſuperque Vos agnoviſſe confidimus ex iis, quæ de heroicis illius virtutibus, ac præclaris miraculis relata tum in publico Conſiſtorio præteritis diebus habito audiviſtis, tum in alia ad Vos tranſmiſſa fideli narratione legiſtis. Reliquum nunc eſt, ut in hoc Sacro Conſeſſu veterum Conciliorum Romanorum imaginem præferente de Sanctorum cultu ſolemniter ei decernendo, qui verè, dum eſſet Summus Pontifex, terrena non metuit, ſed ad cœleſtia Regna glorioſus migravit, diuturniori quavis cunctatione poſthabitâ, deliberemus. Nec ſanè abſque peculiari Divinæ Pro-

vi-

videntiæ consilio contigisse arbitramur, ut eo planè tempore, quo orthodoxæ Religioni tot ab ejus hostibus undequaque struuntur insidiæ: quo Sacrorum Canonum salutaris norma tam impudenter contemnitur: quo turbulenti homines continuâ novitatum prurigine laborantes, damnatos dudum errores subdolis artibus instaurare conantur: quo abundante nequitiâ Christiani Populi charitas plurimum refrigescit: quo sæculi Potestates nova in dies vulnera Ecclesiasticæ libertati inferre moliuntur: quo demum suprema hæc B. Petri Sedes tot injuriis palàm afficitur, ipsæque traditæ Nobis à Domino Claves temerè impetuntur: is Pontifex, recurrente propemodum natali ejus die, in Sanctorum album referendus, adeôque nostræ non minùs, ac vestræ, quàm Episcoporum omnium imitationi exhibendus proponatur, in quo fuit, ut Ecclesiæ jampridem de eo sic loquentis verbis utamur, *Religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiasticâ disciplinâ restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum*. Hac itaque gravissimâ de re, dum divini luminis opem humiliter præstolamur, vestras quoque sententias, servato à Prædecessoribus nostris more, libenter exquirimus.

Omnium sententiis auditis Sanctitas Sua sequentibus verbis allocutionem absolvit.

VENERABILES FRATRES. Summoperè lætamur suffragia omnium Vestrum, & sanè speciali jure etiam tot Præsulum Orientalis Ecclesiæ sub Turcarum Tyrannide miserè gementis, adeôque ope, ac tutelâ Beati Pii V. plurimùm indigentis, unanimiter in eum sensum, qui noster jamdiu fuit, convenisse; in magnam siquidem Omnipotentis Dei gloriam, nec non S. R. E. præsidium, ac decus singulare solemnem Sanctis-

simi

simi hujus Prædeceſſoris noſtri Canonizationem ceſſuram eſſe non dubitamus; Ceterùm illius celebrandæ diem brevi indicemus, poſtquam ſcilicet in ſequentibus Conſiſtoriis etiam ſuper aliorum Beatorum Canonizatione, quam ſimiliter, Deo dante, peragere intendimus, veſtras ſententias exceperimus. Precibus interim, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque piis operibus inceſſanter à Domino poſtulare pergamus, ut in re tanti ponderis, quod, & quale ſit divinæ ſuæ, atque incomprehenſibilis Sapientiæ beneplacitum, Nobis oſtendere non dedignetur.

IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

Habito die 9. Maji 1712.

ARGUMENTUM.

Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſuper Canonizatione B. Andreæ Avellini exquirit.

VENERABILES FRATRES:



REctam mandatorum Domini viam, quæ ducit ad vitam, B. Andreas Avellinus, jugiter dilatante cor ejus Spiritu Sancto, feliciter ingreſſus fuit, feliciùs cucurrit, feliciſſimè conſummavit. Deduxit eum ſcilicet per hanc viam perfecta illa in Deum, ac Proximos Charitas, quæ foras mittit timorem; Hoc ipſe exardeſcens igne exultavit, ut Gigas, ad currendam viam; ſibique propoſito ardui itineris termino, labores, ærumnas, probra, injurias, vulnera, contumelias læto, fortique animo ſuſtinuit; Hac incenſus flammâ pœnitentiæ auſteritatem cùm innocentiæ candore mirabiliter conjunxit: ſummamque terrenarum rerum inopiam uberrimâ cœleſtium chariſmatum copiâ largiter compenſavit; Neque enim ei reliquarum virtutum agmen deeſſe xLII.

poterat, lucem, & facem illis præferente charitate; Hanc illæ omnes ſecutæ ſunt ancillæ Reginam. Charitate itaque, quæ numquam excidit, dirigente ejus greſſus, quidquid ad hominem in ſortem Domini vocatum, ſive inter ſæculi fluctus degentem, ſive in portum vitæ religioſæ receptum perfectè formandum, ſeveriora veterum Patrum documenta ſtatuêre, Beatus hic Vir, qui cùm in humanis ageret, utramque Perſonam præclariſſimè geſſit, abundè complevit. Hæc omnia Vos ipſi ex relata aliàs mirabilium ejus geſtorum ſerie benè colligere potuiſtis, atque inde étiam inferre, quantum publico Eccleſiæ bono congruere poſſit Andream in utroque ſtatu admirandum, miſeris hiſce collabentis veteris diſciplinæ temporibus, univerſo fidelium cœtui, præſertim verò tum ſæculari, tum regulari Clero, peculiari imitatione colendum proponi, ut qui prodigium factus eſt multis, fiat omnibus adjutor fortis. Ita planè heroicæ Virtutes, quibus emicuit, inſignia miracula, quibus claruit, poſtulare videntur, ut cœleſtes in terris Sanctorum honores illi decernantur, qui mirâ humilitate contempſit humanos. Verùm ut in re tanti momenti omnes accuratiſſimi judicii partes impleamus, ſententias primùm veſtras expoſcimus.

Omnium ſuffragiis exceptis Sanctitas Sua adjecit hæc verba.

VENERABILES FRATRES. Sententiis veſtris de B. Andreâ Avellino in Sanctorum Canonem referendo concorditer eò collimantibus, quò noſter quoque animus, poſt diuturnam rei meditationem, ſponte ſuâ ferebatur, celebrandæ ſolemni ritu illius Canonizationis diem opportunè indicemus. Præſcripta interim orationum, aliorumque piorum operum ſubſidia enixiùs inſtauremus, humiliter, ac ferventer petentes à Domino, ut Nos miſericorditer edocere velit quid in re tanta ad ſui Nominis gloriam, fideliumque ædificationem agere debeamus.

IN

IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

Habito die 11. Maji 1712.

ARGUMENTUM.

Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſuper Canonizatione B. Felicis à Cantalicio expoſcit.

VENERABILES FRATRES.

Legit olim Dominus David ſervum ſuum, tametſi inter filios Jeſſe minimus natu eſſet, ſuſtulitque eum de gregibus ovium, ut in thronis Regum collocaret. Elegit noviſſimè ſervum etiam ſuum Felicem à Cantalicio Aſſiſienſis Patriarchæ minimum filium, & de poſt fœtantes accepit eum, ut in medio Magnatorum conſedere illum faceret, Eccleſiamque ſuam, quam humilitate vult creſcere, præclaris illius virtutibus illuſtraret. Sic Felix, electus à Domino, elegit & ipſe abjectus eſſe in Domo Dei ſui, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum; puſilloque eorum gregi, quibus æterno Patri complacuit dare Regnum, adſcribi cupiens, ut magnum conſtrueret ædificium ſanctitatis, alta priùs jecit fundamenta humilitatis. Sapientiam hujus mundi, xLiii.

quæ ſtultitia eſt apud Deum, ſemper deſpexit, ſtultuſque ſæpius haberi ſtuduit propter Chriſtum, ut verè eſſet Sapiens: illa ſcilicet ſapientiâ, quam docet charitas Chriſti: charitas, quæ patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, non irritatur: charitas, quæ omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Hoc divini amoris igne mirabiliter æſtuans B. Felix jugi meditationis ſtudio, & aſſiduâ oratione per arduum Chriſtianæ perfectionis tramitem ad ſuperiora conſcendit: quò ſui abnegatione demiſſior, eò Divinarum rerum contemplatione ſublimior. Aſperrimis carnis afflictationibus, jejuniis, rigidiſſimis, ac ferè perpetuis vigiliis, mortificationem Crucis jugiter in ſuo corpore portavit: Illudque ſeverioris pœnitentiæ auſteritate ita prorſus edomitum, ac ſpiritui ſubjectum reddidit, ut in carne ambulans non ſecundùm carnem militaverit, ac licèt frequentibus nimiùm miſeri hujus ſæculi periculis humilis miniſterii ſui ratione, quod longo mortalis ævi ſpatio exercuit, in ſingulos ferè dies obnoxius fuerit, adhuc tamen nullam ſæculi maculam contraxerit. Verus Chriſti athleta, verus Franciſci ſectator, & filius per arctiſſimam paupertatem curſum illum, in quem, veſtimentis abjectis, ne ſuccumberet, nudum ſe commiſerat, gloriosè, ac feliciter conſummavit: Euangelicâ rerum omnium terrenarum abdicatione infra homines poſitus, inſignium miraculorum fulgore, quibus eum decoravit Altiſſimus, ſupra homines collocatus. Hæc omnia exactiſſimis comprobata documentis, quæ Vobis abundè innotuiſſe non ambigimus, diſertè ſatis efflagitare videntur, ut dilectum Deo, & hominibus Virum, quem divinâ fruentem in Cœlis Beatitate dudum colimus, in terris etiam Authoritate Nobis à Domino tradita Sanctorum Faſtis ſolemniter adſcribamus. Poſtulant id ipſum Viri Principes; poſtulat Religioſus Cappuccinorum Ordo: Fidelium penè omnium poſtulant vota. Verùm priùs quàm hoc decernamus, quemadmodum ſedium æterna-

rum

rum aſsiſtricem Sapientiam implorare non intermittimus, ita veſtras etiam ſententias hac in re audire ſummoperè exoptamus.

Omnium Votis ſingillatim auditis Sanctitas Sua ita ſubjunxit.

VENERABILES FRATRES. In illum, qui noſter jam erat, ſenſum ſuffragia veſtra pleniſsimè conveniunt: ut Sancti ſcilicet nomen, & cultus B. Felici à Cantalicio Apoſtolicâ Authoritate decernatur, adeôque ejus gloriam nunciare poſsit Eccleſia, cujus laudes jampridem omnes, ac præſertim hujus Almæ Urbis noſtræ Populi, enarrabant. Tantæ itaque, ac tam expetitæ celebritatis diem in ſequenti Conſiſtorio, adjuvante Domino, indicemus; à Vobis interim petentes, ut (quod in hujuſmodi negotiis Eccleſiæ ſolemne eſt) aſsiduis precibus, aliiſque præſcriptis piis operibus eo potiſsimùm tempore, quo advenientis Paracliti Spiritus memoriam anniverſaria ſupplicatione recolemus, auxilium Nobis de Sancto impetretis, ut rem in terris cœleſtem juxta divinum beneplacitum omninò conficere valeamus.

IN CONSISTORIO SEMIPUBLICO

Habito die 18. Maji 1712.

ARGUMENTUM.

Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſuper Canonizatione B. Catharinæ de Bononia exquirit.

VENERABILES FRATRES.

xLiv. 

Ulierem fortem non procul, neque ab ultimis finibus vocatam, ſed noſtris in terris natam invenimus; quæ non modò præliando bella Domini inſignes de humani generis hoſtibus victorias reportavit, ſed os ſuum aperiens Sapientiæ, quibus armis iidem hoſtes vincantur, ſcripto hac de re volumine mirabiliter edocuit. Benè jam intelligitis Mulierem hanc fuiſſe B. Catharinam de Bononia, quæ ab ipſis ferè incunabulis manus ſuas miſit ad fortia: dum adhuc puella conſuetis illius ætatis illecebris perpetuum bellum indixit: adultior verò adeô levavit ſe ſupra ſe, ut infirmitatem ſexus in prodigium fortitudinis converterit. Nihil in illa, niſi ſanctum, niſi mirabile. Innocentia nedum ſecurioribus incluſa ſeptis, ſed etiam inter Aulæ pericula ſanctiſſimè

cu-

cuſtodita: Virginitas illibata: paupertas arctiſſima: obedientia admiranda: abſtinentia ſemper auſterior: amor in Deum quotidiè intenſior: charitas in proximos undique exæſtuans; profunda humilitas: contemplatio ſublimis: converſatio cœleſtis. Non eſt igitur quod miremur Catharinæ, quæ non aliàs, quàm de Deo, vel cum Deo loquebatur, futuros rerum eventus, revelante Deo, innotuiſſe. Non eſt quod miremur innocentem, ac pœnitentem Virginem, quæ Chriſti bonus odor fuit in omni loco, etiam in ſepulchro reconditam, perennem dediſſe odorem ſuavitatis. Fuit hæc Virgo ſapiens, quam Dominus in multâ patientiâ, in tribulationibus, in laboribus, in caſtitate, in ſcientia, in Spiritu ſancto, ſemper vigilantem invênit. Verè de numero prudentum, quæ ſumpſit oleum ſecum Divini amoris, eoque refertam lampadem ſuam uſque ad Sponſi Cœleſtis occurſum inextinctam geſtavit, omnium virtutum meritis, omnium chariſmatum donis prælucentem. Hæc omnia ſatis, ſuperque Nobis perſuadent, ut peractis jam iis, quæ ad humanæ prudentiæ modum pertinebant, ſplendidam hanc ſanctimoniæ lucernam, quam Deus ipſe inſignium miraculorum luce fulgidiorem reddidit, non in abſcondito, neque ſub modio, ſed ſuper Candelabrum Eccleſiæ ſolemniter collocemus: Adeôque Beatam Catharinam de Bononia Sanctæ appellatione, pariique appellationi cultu, ac Sanctis Virginibus debito, honorandam pronunciemus. Quia tamen de re ſtatuendum eſt, quæ humana tranſcendit, divinam opem ferventius ſemper implorare non ceſſantes, maturius adhuc de eâdem re cum Fraternitatibus Veſtris deliberandum cenſemus. Veſtræ itaque pietatis, ac ſapientiæ erit edicere, quid in hac graviſſima conſultatione ſentiatis.

Habitis omnium ſuffragiis ſic Pontifex locutus eſt.

VE-

VENERABILES FRATRES. Votis noſtris conſilia veſtra reſpondent. Pro ſolemni itaque Canonizatione, benedicente Domino, peragenda tam B. Catharinæ de Bononia, de qua hodie locuti fuimus, quàm reliquorum Beatorum, nempe Pii V., Andreæ Avellini, ac Felicis à Cantalicio, de quibus in præteritis Conſiſtoriis actum fuit, indicimus tandem diem Dominicam proximam, hoc eſt vigeſimam ſecundam currentis Maji, qua Feſtum Auguſtiſſimæ Trinitatis hoc anno celebrabimus. Vos interim ſinè intermiſſione orantes enixiùs ſemper à Domino petite, ut ipſo favente, ac inſpirante, maximæ huic rei ſupremam ritè manum imponere poſſimus ad Divini nominis gloriam, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum.

Demum cùm in aliquo ex ſuffragiis audiviſſet fieri mentionem cujuſdam prædictionis B. Catharinæ, quæ Orientalis Imperii excidium, caſuramque Conſtantinopolitanam Urbem in Turcarum manus in Pervigilio Pentecoſtes anni 1453. *prænunciaverat, converſus ad Orientales Epiſcopos, qui plures aderant, ita ex tempore ſubjunxit:*

Vos verò, Orientales Præſules, Cœleſtem miſericordiarum Patrem potiſſimùm exorate, ut intercedentibus B. Catharinæ meritis, quæ Imperii Orientalis excidium, Græcorum in Spiritum Sanctum blaſphemiis ita promerentibus, prædixit, per ineffabilem Divinæ ſuæ bonitatis abundantiam Græciæ veſtræ, quam Nos in viſceribus gerimus paternæ charitatis, poſt diuturnam pœnitentiam, hoc eſt, miſeram tot annorum ſervitutem, concedere tandem dignetur, ut priſtinam conſequi libertatem, ſuoſque valeat errores deteſtari.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die prædicta poſt Semipublicum.

ARGUMENTUM.

Creat octodecim S. R. E. Cardinales, ex quibus tamen undecim tantùm evulgat, reliquos ſeptem in pectore, ut vocant, reſervat arbitrio ſuo quandocumque evulgandos.

VENERABILES FRATRES.

Odem planè tempore, quo Nos afflictis Eccleſiæ rebus opem laturi Sanctorum Catalogo nova nomina adjungere cogitavimus, Veſtrarum etiam Fraternitatum numerum, pari ejuſdem Eccleſiæ rationibus opportunè conſulendi ſtudio ducti, novis nominibus augere conſtituimus; Ut ita non tam cœleſtibus, quàm humanis ſubſidiis, quantum in Nobis eſt, publicæ Cauſæ ſuccurramus. Enixis proindè, ac diuturnis precibus Deum Opt. Max. humiliter dudum exoravimus, ut in ejuſmodi re quod, & quale eſſet Divinæ ſuæ, atque incomprehenſibilis ſapientiæ beneplacitum, Nobis oſtendere dignaretur. Temporis ſubinde opportunitatem nacti, quo delapſi olim è Cœlo Divini Spiritus memoriam anniverſariâ ſupplicatione celebravimus, ſupremum xLv.

luminum Patrem ferventiùs iterum rogavimus, ut mentem noſtram cœleſti ſuâ luce perfunderet. Hodiernam demum jejunio conſecratam diem ex veteri Prædeceſſorum noſtrorum more ad rem ipſam, benedicente Domino, perficiendam delegimus. Faxit Deus, ut omnes in ampliſſimum veſtrum Ordinem cooptandi, muneris, ad quod vocantur, debito ita reſpondeant, ut in eis glorificetur Deus, Eccleſia lætificetur, ac Sacerdotale Miniſterium honorificetur. Ad majorem igitur Omnipotentis Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ decus, & utilitatem, intendimus creare eos omnes, nempe octodecim, qui ad ſeptuagenarium Veſtrum numerum complendum in præſens deſunt, Cardinales, eoſque, quantum Nobis fas eſt, ex omnibus Chriſtianitatis Nationibus aſſumere, ut de iis, qui Perſonas Sanctorum Apoſtolorum repræſentare debent, verè dici valeat: *In omnem terram exivit ſonus eorum*: Ex illorum tamen numero, gravibus ex cauſis animum noſtrum moventibus, undecim dumtaxat nunc evulgare cenſemus, videlicet:

Joannem Antonium Archiepiſcopum de Via Epiſcopum Ariminenſem.

Auguſtinum Archiepiſcopum Cuſanum Epiſcopum Papienſem.

Julium Archiepiſcopum Piazza Epiſcopum Faventinum.

Antonium Felicem Zondodarium Archiepiſcopum Damaſcenum.

Armandum de Rohan Epiſcopum Argentinenſem.

Nunum de Cunha de Attayde Epiſcopum Targenſem.

Vvolffgangum Annibalem ex Comitibus de Schrottembach Epiſcopum Olomucenſem.

Aloyſium Priolum Rotæ Romanæ Auditorem.

Joſephum Mariam de Thomaſiis Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum.

Jo: Baptiſtam Ptolomæum Soc. Jeſu.

Fran-

Franciſcum Mariam ab Aretio Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum Palatii noſtri Apoſtolici Concionatorem.

Alios ſeptem in pectore reſervare intendimus arbitrio noſtro quandocumque evulgandos.

Curavimus ſeligere Viros, ſive Eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtratione, ſive illuſtribus Legationibus, ſive aliis Apoſtolicæ Sedis Miniſteriis diù probatos; Non negleximus Regulares, ut aliquam Religioſorum Ordinum benè de Eccleſia, & Orthodoxa Religione meritorum rationem habuiſſe videamur.

Quid igitur Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra creamus S.R.E. Presbyteros Cardinales

Joannem Antonium Archiepiſcopum de Via Epiſcopum Ariminenſem.

Auguſtinum Archiepiſcopum Cuſanum Epiſcopum Papienſem.

Julium Archiepiſcopum Piazza Epiſcopum Faventinum.

Antonium Felicem Zondodarium Archiepiſcopum Damaſcenum.

Armandum de Rohan Epiſcopum Argentinenſem.

Nunum de Cunha de Attayde Epiſcopum Targenſem.

Vvolffgangum Annibalem ex Comitibus de Schrottembach Epiſcopum Olomucenſem.

Aloyſium Priolum.

Joſephum Mariam de Thomaſiis.

Jo: Baptiſtam Ptolomæum.

Franciſcum Mariam ab Aretio.

Cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

Alios ſeptem in pectore reſervamus arbitrio noſtro quandocumque declarandos.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 11. Julii 1712.

ARGUMENTUM.

Accenſum inter Helvetios bellum, & gravia inde Orthodoxæ Religioni impendentia pericula dolet. Subſidia illis Catholicis miſſa, ac officia cum Principibus, qui ipſis opitulari poſſunt, adhibita commemorat. In tanto tamen rerum diſcrimine divinam in primis opem implorandam eſſe monet, eumque in ſcopum Chriſtifideles Urbis prolatis Indulgentiarum theſauris ſe incitare velle ſignificat. Demum DD. Cardinales ad graviſſimam hanc Cauſam conſiliis, ope, precibus enixè juvandam hortatur.

VENERABILES FRATRES.

xLvi.

Bi primùm elapſis menſibus ex accenſi inter Helvetios inteſtini belli flammis graviſſima non minùs Catholicorum Pagorum libertati, quam Orthodoxæ Religioni impendentia pericula Nobis innotuerunt, eam illicò curam, atque ſolicitudinem illarum rerum ſuſcipere curavimus, quam & crediti Nobis à Domino Apoſtolici muneris ratio, & paternæ noſtræ in gentem de Eccleſiâ, ac de hac Sancta Sede optimè meritam, charitatis magnitudo po-

ſtu-

ſtulabat. Illa idcircò ſubſidia, quæ ſummæ, nimiumque notæ in hac temporum calamitate Apoſtolici Ærarii patiebantur anguſtiæ, memoratis Pagis Catholicis alacri animo contulimus. Illos inſuper Paſtoralibus monitis vehementer excitare non prætermiſimus, ut forti, ſtrenuoque animo pro aris, & focis pugnarent, ac mutuam in primis, & in hoc rerum ſtatu, ſi unquam aliàs, maximè neceſſariam animorum, conſiliorumque concordiam foverent. Enixis prætereà officiis orthodoxos Reges adhortati, & obteſtati fuimus, ut afflictis illic Catholicorum rebus celeri, validaque ope ſuccurrerent, conjunctiſque ſtudiis Acatholicorum conatus, & audaciam coercerent. Verùm dum Nos tam accenſo ſtudio Catholicæ Helvetiæ indeſinenter adeſſe curabamus, non ſinè ingenti, & planè acerbo cordis noſtri dolore percepimus Catholicos ipſos, vel privatis abreptos ſimultatibus, & diſſidiis, vel inani, ac prorſus inſueto fortiſſimæ illi Nationi metu perculſos, nec piâ, ut par erat, mente reputantes, quod non eſt differentia in conſpectu Dei Cœli liberare in multis, & in paucis, plura non levis momenti loca, & oppida deſeruiſſe, quæ facilè tutari poſſe videbantur, quæque ſubindè ab Etherodoxis nullo labore occupata magnam eos in ſpem erexerunt graviora, quæ moliuntur, optatum ad exitum feliciter perducendi. Ad hæc à Tigurinis, ac Bernenſibus copiis, nec non à Doggienſis Comitatus rebellibus celeberrimum S. Galli Monaſterium cum univerſo territorio, & locis ei ſubjectis repentino incurſu, apertâque vi occupatum fuiſſe, ſimulque Catholicorum Militum Duces per ſummam perfidiam interemptos, Monachos omnes in exilium compulſos, expilatam Eccleſiam, direptum Monaſterium, Divina officia intermiſſa, ac orthodoxam Fidem ab illis partibus penè exterminatam audivimus. In ſummum proindè, ac penè extremum diſcrimen Catholicæ rei cauſam apud Helvetios jam adductam, lacrymantibus Pontificiæ charitatis oculis intuentes, tametſi nova iterum ſubſidia

in tam gravem, ac neceſſariam cauſam, in quam ſacra quoque vaſa impendi æquum eſſe novimus, & Patribus olim noſtris uſitatum, parare non omittamus: tametſi novis itidem officiis ne dum Chariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Carolum in Imperatorem electum, ac Regem Chriſtianiſſimum, ſed & alios etiam Catholicos Principes ad ſuſcipiendum illarum Gentium patrocinium, ac opportunam eis opem ſinè majori cunctatione ferendam, etiam per citatos Tabellarios urgere conſtituerimus: verè tamen non aliam, quàm in Divina ineffabili bonitate ſpem habentes periclitanti in Helvetia Religioni ſubveniendi, ejuſque cultores è gravibus, quibus premuntur, ac majoribus, quas metuunt, anguſtiis eripiendi, ad Eum, qui dives eſt in miſericordiâ, toto corde clamare non ceſſamus, ut non concludat in gladio populos ſuos, ſed qui conterit bella ab initio, erigat brachium ſuum, ſicut ab initio, eoſque ab iracundiæ ſuæ terroribus liberet, ac ſua cœleſti ope perpetuò roboret, atque cuſtodiat. Verùm, ut Nobiſcum idipſum illi potiſſimùm Chriſtifideles, qui in hac veræ Religionis arce commorantur, concordibus votis agere ſtudeant, eorum ad id pietatem, ac zelum, prolatis cœleſtium munerum theſauris, quorum diſpenſationem Fidei noſtræ commiſit divina dignatio, incitare non omittemus. Hæc indicare Vobis hodie voluimus, VENERABILES FRATRES, ut veſtris conſiliis, ope etiam veſtrâ, graviſſimam hanc Cauſam juvare poſſitis, eamque in primis impensè commendare Domino exercituum, ut non contineat in ira miſericordias ſuas, nec hæreditatem ſuam ſpernat, ſed exurgat in adjutorium populi ſui, Catholicæque Religioni tot fluctibus, ac periculis undique jactatæ in fortitudine brachii ſui, infirmitates noſtras commiſerando, ſuccurrat.

IN



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 26. Septembris 1712.

ARGUMENTUM.

Declarat quatuor dumtaxat ex ſeptem S. R. E. Cardinalibus, quos aliàs, nempe in Conſiſtorio ſecreto habito poſt Semipublicum die 18. *Maji proximè præteriti, unà cum aliis undecim Cardinalibus tunc publicatis creaverat, & in pectore reſervaverat.*

VENERABILES FRATRES.

xLvii. Emeritis militibus debita honorum præmia diutiùs non retardemus: ac ſubinde aliorum multitudini in noſtra piſcina expectantium aquæ motum, quantum Nobis fas eſt, ſolatium aliquod afferre poſſimus; enixis priùs, atque accuratis precibus cœleſti ope invocatâ, his præſertim noviſſimis diebus ſeptimi menſis jejunio conſecratis, ad gloriam Omnipotentis Dei, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus, palàm hodie evulgare, ac declarare intendimus quatuor dumtaxat ex ſeptem Cardinalibus, quos aliàs, nempe in Conſiſtorio noſtro ſecreto habito poſt ſemipublicum die decima octava Menſis Maji proximè

ximè præteriti, unà cum aliis undecim Cardinalibus tunc publicatis, creavimus, & in pectore reſervavimus, videlicet:
Ludovicum Picum de Mirandula Patriarcham Conſtantinopolitanum, Palatii noſtri Apoſtolici Præfectum.
Jo: Baptiſtam Archiepiſcopum Buſſium Epiſcopum Anconitanum.
Petrum Marcellinum Corradinum Archiepiſcopum Athenienſem, Auditorem noſtrum.
Curtium Origum Protonotarium Apoſtolicum.
Quorum virtutes non recenſemus, quia Vobis ſatis compertæ ſunt, ac notæ.
Alios tres in pectore, ut diximus, reſervatos, juſtis ex cauſis animum noſtrum moventibus, iterum ſimiliter reſervare intendimus, arbitrio noſtro quandocumque evulgandos.
Quid Vobis videtur?
Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus S. R. E. Cardinales Presbyteros quidem
Ludovicum Picum de Mirandula Patriarcham Conſtantinopolitanum.
Jo: Baptiſtam Archiepiſcopum Buſſium, Epiſcopum Anconitanum.
Petrum Marcellinum Corradinum Archiepiſcopum Athenienſem.
Diaconum verò
Curtium Origum.
Cum derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.
Reliquos tres, quos in pectore aliàs reſervavimus, hodie iterum reſervamus, arbitrio noſtro quandocumque declarandos.
In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 5. Octobris 1712.

ARGUMENTUM.

Principem Franciſcum Ludovicum ex Comitibus Palatinis Rheni Electum Wormatienſem, Adminiſtratorem Eccleſiæ Uratislavienſis, nec non Theutonicæ Militiæ Magnum Magiſtrum, deputat Coadjutorem Archiepiſcopi Moguntini, & quæ Illæ de Apoſtolicis Nunciis honorificè excipiendis, nec non de Altranſtadenſibus Pactionibus, ac receſſu Religionis pro inferiori Palatinatu, ita habendis, perindè ac ſi nunquam emanaſſent, pollicitus fuerat, DD. Cardinalibus palàm facit, recitatis tum ejuſdem Franciſci Ludovici literis ad Sanctitatem Suam datis, tum etiam plurium aliarum literarum exemplis, quæ Sanctitas Sua ad Imperatorem, Electorem Palatinum, ac ipſum Franciſcum Ludovicum his de rebus perſcripſerat.

VENERABILES FRATRES.

Ndulgere cupientes enixis, diuturnis, atque iteratis precibus Venerabilis Fratris Lotharii Franciſci Archiepiſcopi Moguntini ob gravem ætatem, & attritis viribus incommodam, tenuemque ſuam valetudinem, unà cum Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Moguntinæ, Coadjutorem ſibi à Nobis deputari ſupplicantis, ne turbatis hiſce temporibus, Eccleſiam ipſam Moguntinam periculoſæ vacationis exponi contingat detri- XLVIII.

mentis, Coadjutorem hujuſmodi, ut dictæ Eccleſiæ utilitati, ac tranquillitati tutiùs proſpectum ſit, de unanimi eorumdem Canonicorum conſenſu, præfato Archiepiſcopo deputare conſtituimus, cum ſpe futuræ ſucceſſionis.

Moguntia eſt Urbs ſuperioris Germaniæ in Palatinatu ſita ad Rhenum Fluvium, & quindecim mille incolas circiter continet, qui pro tempore exiſtenti illius Archiepiſcopo Sacri Romani Imperii Principi Electori etiam in temporalibus ſubjacent.

Metropolitanam habet Eccleſiam antiquæ, ſed inſtauratæ ſtructuræ, Sancto Martino dicatam, cui plures ſuffragantur Epiſcopi, ac inſerviunt quinque Dignitates, quarum prima Præpoſitura, vigintiquatuor Capitulares, & octodecim Domicellares Canonici, quadraginta Cappellani, aliique Presbyteri, & Clerici divinis operantes; deſunt tamen Theologalis, & Pœnitentiaria Præbendæ.

Ejus Sacrarium Supellectili ſacrâ abundè ditatur. Ædes verò Archiepiſcopales parum diſtant ab Eccleſia, & quamvis adhuc non abſolutæ, attamen ad Archiepiſcopi, ſuorumque habitationem opportunè ſufficiunt. Præter Metropolitanam præfatam novem in Civitate Parochiales extant Eccleſiæ, decem Collegiatæ, octo virorum, & totidem Monialium Cœnobia, plures Laicorum Confraternitates, quinque Hoſpitalia, Seminarium, & Academia, ſed deficit Mons Pietatis.

Fructus taxantur ad Florenos decem mille, aſcendunt autem, deductis expenſis, ad quinque millia ſcutorum monetæ Romanæ.

Prædicto Lothario Franciſco Archiepiſcopo Coadjutorem cum futura ſucceſſione deputare intendimus Dilectum Filium Franciſcum Ludovicum ex Comitibus Palatinis Rheni, Epiſcopum electum Vvormatienſem, Adminiſtratorem Eccleſiæ Uratislavienſis, nec non Theutonicæ Militiæ Magnum Magiſtrum,

cujus

cujus qualitates aliàs ab hac Sancta Sede approbatæ, cum præfatis Uratislavienſi, & deinde Vvormatienſi Eccleſiis præfectus fuit, antiquis Neoburgicæ Domus in Catholicam Religionem promeritis, ac novis ipſius Franciſci Ludovici erga eamdem Sedem exhibitis obedientiæ, ac reverentiæ argumentis plurimùm commendantur.

Priuſquam tamen hac in re, VENERABILES FRATRES, vota veſtra exquiramus, ſcire Vos volumus, Nos minimè immemores fuiſſe eorum, quæ anno præterito in Conventu Electorali Francofurtenſi contigerunt: ideôque ſeriò cogitaſſe quibus rationibus nedum ſimilia in poſterum averti poſſent, ſed & quæ inibi ſecuta fuerunt, opportunâ reparatione ſarcirentur. Curavimus propterea per eum, qui Archiepiſcopo Moguntino dandus erit Coadjutor, literas ad Nos ſcribi, quibus, poſtquam ad ſui favorem factus fuerit locus ſucceſſioni in regimine Eccleſiæ Moguntinæ, omnes honoris, ac reverentiæ ſignificationes noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis ſive ordinariis, ſive extraordinariis quandocumque, & ubicumque juxta antiquum morem ſe exhibiturum, & delaturum eſſe ſpondeat tam expreſſis, ac diſertis verbis, ut omni prorſus ambiguitate ſublatâ, nihil jam ejuſmodi in re Nobis deſiderandum ſuperſit: quemadmodum ex iiſdem literis, quas Secretarius Brevium noſtrorum ſecretorum mox recitabit, abundè percipietis.

Hic ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Oliverius Secretarius Brevium ſecretorum Sanctiſſimi, legitque literas D. Electi Epiſcopi Vvormatienſis, ac Adminiſtratoris Uratislavienſis ad Sanctitatem Suam datas die 27. Aprilis proximè præteriti; quarum abſolutâ lectione Sanctitas Sua reaſſumpſit in hæc verba.

Indicabunt profectò hæ literæ quid etiam ab aliis, quos Eccleſiis pari Electoralis S. R. I. Principatus prærogativâ gaudentibus de cetero præfici continget, ſimiliter præſtari debeat: quid

itidem ab iis, qui in præfato Conventu Francofurtenſi debita ejuſmodi honoris, ac reverentiæ teſtimonia Nuncio noſtro tribuere abnuerunt, gerendum ſit, ut in priſtinam noſtram, & hujus Sanctæ Sedis gratiam reſtitui valeant.

Ceterum ne exprobrari Nobis poſſet effatum illud Sancti Bernardi ad Eugenium: *Vides omnem Eccleſiaſticum zelum fervere ſolâ pro dignitate tuendâ: honori totum datur; Sanctitati nihil, aut parum*, ferventiori ſanè zelo Catholicæ Religionis Cauſam tueri ſtuduimus, quàm noſtram, & Sanctæ hujus Sedis Dignitatem vindicare. Cùm enim aliàs ea omnia, quæ ſive in deplorandis illis Altranſtadenſibus Pactionibus, quas dudum, nempe anno 1707. ab Adminiſtris cla. me. Joſephi, dum viveret, in Romanorum Imperatorem electi Sueci Adminiſtri extorſerunt: ſive in declaratione illa, quam Receſſum Religionis vocarunt, multò antea, videlicet anno 1705. nomine Dilecti Filii Nobilis Viri Joannis Vvilhelmi Ducis Neoburgi Comitis Palatini Rheni S. R. I. Principis Electoris pro inferiori Palatinatu edita, continentur, non minùs Orthodoxæ Fidei, Divino cultui, atque animarum ſaluti, quàm Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis Authoritati, libertati, aliiſque juribus adverſantia, inania prorſus, ac irrita declaraverimus, & quatenus opus eſſet, traditâ Nobis à Domino poteſtate abrogaverimus, & irritaverimus; illa nimirum, quæ in præfatis Altranſtadenſibus Pactionibus Uratislavienſem, quæque in Receſſu ſupradicto Vvormatienſem reſpectivè Diœceſes reſpiciunt; exempla idcircò literarum, quas ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Carolum in Imperatorem electum, nec non ad præfatum Electorem Palatinum deſuper reſpectivè dedimus, quæque ab ipſis æquo non minùs, quàm demiſſo, ac reverenti animo receptæ fuerunt, ad illum, qui utrique Diœceſi, Vvormatienſi ſcilicet, ac Uratislavienſi ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica nunc præeſt, mittenda duximus: Nec aliàs de

illius

illius tamdiù petita deputatione in Coadjutorem Archiepiſcopi Moguntini agi permiſimus, niſi priùs accepto ejus reſponſo, quo ea omnia, quæ tum in Pactionibus, tum in Receſſu præfatis Apoſtolici cenſurâ judicii confiximus, ita ſe habiturum eſſe apertè declararet, perindè ac ſi numquam emanaſſent, ac inſuper ſe enixè curaturum eſſe ſponderet, ut illa in Vvormatienſi, ac Uratislavienſi reſpectivè Diœceſibus ſibi commiſſis omni prorsùs effectu de cetero carerent. Excipietis nunc tum noſtras ad ipſum Vvormatienſis, ac Uratislavienſis Eccleſiarum Præſulem hac de re datas literas, tum eis adjuncta aliarum noſtrarum ad Imperatorem Electum, & ad Electorem Palatinum literarum exempla, tum denique ejuſdem Præſulis Reſponſum, quod eâdem de re accepimus, pio, Catholico, ac verè huic Sanctæ Sedi obſequenti Antiſtite dignis ſenſibus refertum.

Hîc ab eodem R. P. D. Oliverio lecta fuerunt exempla plurium literarum Sanctitatis Suæ, priorum ſcilicet ad Vvormatienſis, & Uratislavienſis Eccleſiarum Præſulem datarum die 12. *Auguſti: tum aliarum ad Imperatorem electum ſuper reprobatione, ac caſſatione quarumdam Pactionum, quas anno* 1707. *in Caſtris Altranſtadenſibus ab Adminiſtris cla. me. Joſephi, dum viveret, in Imperatorem electi Succi Adminiſtri extorſerunt, datarum die* 4. *Junii: deinde aliarum ad Electorem Palatinum ſuper reprobatione, & caſſatione cujuſdam declarationis ab eo editæ anno* 1705. *Receſſus Religionis pro Palatinatu nuncupatæ, datarum die* 30. *Julii* 1712., *ac demum Reſponſi à prædicto Vvormatienſis, & Uratislavienſis Eccleſiarum Præſule ad literas Sanctitatis Suæ dati nuperrimè, videlicet die* 1. *Septembris proximè elapſi. Quibus perlectis Sanctitas Sua ita allocutionem ſuam abſolvit.*

Audiſtis quibus verbis Avunculus Cæſaris Pontificio noſtro judicio humiliter ſe ſubjiciens de Pactionibus ab ipſomet Cæſare initis loquatur: quibus itidem verbis Electoris Palatini germa-

nus

nus Frater Edictum, ſive Receſſum ab ipſo ejus Fratre promulgatum pro irrito habeat, ac nullo; atque indè benè conjicere potuiſtis non minùs pietatem, æquitatem, ac zelum, quàm ſummam in Nos, & hanc Sanctam Sedem obedientiam præclari hujus Antiſtitis.

Quid igitur his attentis de petitâ Coadjutoris Moguntini Deputatione Vobis videtur?

D. Cardinalis Acciajolus Epiſcopus Portuenſis, uti antiquior Cardinalis, protulit votum ſuum per hæc verba.

BEATISSIME PATER.

Digna, & verè commendanda proviſio; magis tamen commendandus eximius zelus Sanctitatis Veſtræ, quo non minùs Catholicæ Religioni, & Eccleſiæ, quàm Pontificiæ Dignitati illatas injurias tam opportunè propulſavit.

Reliqui omnes DD. Cardinales id ipſum annuendo cenſuerunt; unde Sanctitas Sua ſequens edidit Decretum.

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ deputamus Coadjutorem cum futura ſucceſſione in regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ Moguntinæ prænominatum Franciſcum Ludovicum cum retentione Eccleſiarum Uratislavienſis, & Vvormatienſis, nec non Magni Magiſterii Militiæ B. Mariæ Theutonicorum *ad ejus Vitam*, & cum Decreto, quod facto dictæ ſucceſſioni loco Canonicatus, & Præbenda, quos in Eccleſia Moguntina obtinet, vacent eo ipſo, ita ut de illis per Sedem Apoſtolicam tantùm diſponi poſſit, quodque nonniſi facto ſucceſſioni hujuſmodi loco, Conſecrationis munus ſuſcipere teneatur: ita tamen, ut ab obligatione, quam habet illud ſuſcipiendi ratione aliarum duarum Eccleſiarum, quibus nunc præeſt, nullatenus propterea exemptus intelligatur: nec non cum retentione Præpoſituræ Elvacenſis, ac Canonicatuum, & Præbendarum Eccleſiarum Colonien., &

Leo-

Leodien., ac ceterorum omnium, & quorumcumque, quæ obtinet juxta Decreta particularis Congregationis rerum Conſiſtorialium; ac inſuper cum alio Decreto, quod, poſtquam factus fuerit eidem ſucceſſioni locus, Theologalem, & Pœnitentiariam Præbendas inſtituat, Montemque pietatis erigi curet, ejus conſcientiam ſuper his onerantes.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 30. Januarii 1713.

ARGUMENTUM.

Commemoratis quamplurium S. R. E. Cardinalium brevi tempore extinctorum funeribus, ac inter eos Cardinalis Thomasii novissimè defuncti virtutibus præcipuà laude celebratis, declarat reliquos tres Cardinales, qui supererant ex iis, quos præterito anno creaverat, & in pectore reservaverat, nimirum Emmanuelem Arias Archiepiscopum Hispalensem, Benedictum Sala Episcopum Barchinonensem, Melchiorem de Polignac Rotæ Romanæ Auditorem. Creat insuper duos alios Cardinales, nempe Benedictum Odescalcum Archiepiscopum Mediolanensem, & alium, quem in pectore reservat, arbitrio suo quandocumque evulgandum.

VENERABILES FRATRES.



1L. Dmonent nos multiplicia funera, quæ paucos intrà menses quamplurium ex Fraternitatibus Vestris, non sinè gravi paterni cordis nostri dolore, contigerunt, ut ad tot, tantasque Apostolici Senatus jacturas opportunè reparandas animum convertamus; Nec sanè dissimulare possumus cæteris acerbiorem Nobis accidisse novissimam omnium, quam fecimus, eximii, ac piissimi Viri Cardinalis Thomasii; molestè siquidem sensimus, ni-

mia

mia celeritate Nobis ereptum fuiſſe verum exemplar ſanctioris veteris diſciplinæ, quod in ejus moribus, & doctrina ſuſpiciebamus. Humiliantes Nos nihilominùs ſub potenti manu Dei, cujus Providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, Davidicum illud coram Domino recolere non prætermiſimus: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti*; Sperantes intereà adfuturum Nobis ope ſua apud Deum in Cœlis, qui conſiliis ſuis diù Nobis adeſſe non potuit in terris. Hoc igitur incenſi ſtudio jacturas Ordinis Veſtri novorum Senatorum acceſſione ſarciendi, aliiſque graviſſimis rationibus animum noſtrum moventibus adducti, nolumus diutiùs abſconditas eſſe ſub modio lucernas illas, quæ ſuper candelabrum collocari debent, ut omnibus, qui in domo ſunt, præluceant: adeôque reliquos tres S. R. E. Cardinales, qui ſuperſunt ex iis, quos dudum, nempe die decima octava Maji anni proximè elapſi creavimus, & in pectore reſervavimus, ne amplius lateant, ſed ſuarum fulgore virtutum univerſam Eccleſiam illuſtrare valeant, palàm hodiè evulgare, ac declarare intendimus, videlicèt:

Emmanuelem Arias Archiepiſcopum Hiſpalenſem.

Benedictum Sala Epiſcopum Barchinonenſem.

Melchiorem de Polignac Rotæ Romanæ Auditorem.

Prætereà ad majorem Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus creare intendimus duos alios Cardinales, nempe:

Benedictum Odeſcalcum Archiepiſcopum Mediolanenſem, cujus virtutes ſatis Vobis compertæ ſunt, & notæ: ac alium, quem tamen rationabilibus ex cauſis in pectore reſervare conſtituimus, arbitrio noſtro quandocumque evulgandum.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra declaramus, & reſpectivè creamus S. R. E. Cardinales

Emmanuelem Arias Archiepiſcopum Hiſpalenſem.

Benedictum Sala Epiſcopum Barchinonenſem.

Melchiorem de Polignac Rotæ Romanæ Auditorem.

Benedictum Odeſcalcum Archiepiſcopum Mediolanenſem.

Alium demùm in pectore reſervamus, arbitrio noſtro quandocumque declarandum.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Singulariter in Spe Constituisti me. Ps.4.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 28. Aprilis 1713.

ARGUMENTUM.

Cùm aliquot ante dies ad Urbem veniſſet Religioſus Vir Joannes Joſeph Mazet Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Profeſſor à Venerabili Viro Samuele Capaſulis Patriarcha Alexandrino Ritus Græci miſſus, ac Procurator ad infraſcripta ſpecialiter conſtitutus, literaſque attuliſſet ejuſdem Patriarchæ Græco idiomate conſcriptas, quibus ille Sanctiſſimo Patri ſignificabat ſe divino illuſtratum lumine vetus Græcorum Schiſma, ejuſque errores ejuraſſe, ac Orthodoxæ Fidei profeſſionem emiſiſſe, tranſmiſſis ea de re opportunis documentis: eumdem propterea ſummum Pontificem, quem ut verum B. Petri Succeſſorem agnoſcebat, humiliter obſecrans, ut ſuum Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulatum Apoſtolica auctoritate confirmaret, eique Pallium mittere dignaretur: attributa demum antedicto Mazet plenâ facultate ſupplendi quidquid à ſe omiſſum fuiſſet, ſuoque nomine agendi ea omnia, quæ in præmiſſis neceſſaria, ac opportuna Sanctitati Suæ viſa fuiſſent. Idem Sanctiſſimus Pater, ne quid in re tanti momenti, niſi qua par erat, maturitate, ac ſeriâ adhibita conſultatione decerneret, ſcripta, & poſtulata memorati Patriarchę, diſcutienda

commiſit primùm quidem Congregationi DD. S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum, ſubindè verò particulari Congregationi nonnullorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, & aliquot Romanæ Curiæ Prælatorum, ac Theologorum à Sanctitate ſua ſpecialiter ad id deputatorum, quos ipſamet Sanctitas Sua coram ſe de hac re diſſerentes audire voluit. Illorum itaque auditis ſententiis, nec non auditis pariter, & ſanè pluries Sacrarum Cæremoniarum Magiſtris, ac iis omnibus, quæ ad actionem ritè, & ordine, ac prorſus ex dignitate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ perficiendam conducere viſa ſunt, ſedulò expenſis, diſpoſitis, & conſtitutis, Sua Sanctitas Conſiſtorium indixit, in quod hac ipſa die habitum ab uno ex DD. Cęremoniarum Magiſtris, antequam fores de more clauderentur, introductus fuit R. P. D. Proſper de Lambertinis, utriuſque Signaturæ Referendarius, Prælatus Domeſticus Pontificius, & Advocatus Conſiſtorialis, ſimulque introducti etiam fuere prædictus Joannes Joſeph Mazet Patriarchæ Alexandrini Procurator, nec non duo Monachi Ordinis Sancti Baſilii Ritus Græci, qui ab eodem Patriarcha pariter ablegati fuerant, illius literas, aliaque ab eo tranſmiſſa documenta elevatis manibus deferentes, à pluribus Græcis, qui in eorum comitatu erant, aſſociati.

Quibus omnibus, nec non Prælatis, & Nobilibus plurimis, qui frequentiſſimi convenerant, ac preſertim Epiſcopis, quos Pontificii Solii Aſſiſtentes nuncupant, & nonnullis Protonotariis Apoſtolicis præſentibus, antedictus R. P. D. Proſper de Lambertinis è regione Pontificiæ Sedis conſtitutus, flexis genibus Sanctitatem Suam ita allocutus eſt.

BEATISSIME PATER.

Lacuit Divinæ bonitati diſſipato muro, qui Alexandrinam Eccleſiam ab hac Apoſtolica Sede dividebat, atrâque errorum caligine ſublatâ, Venerabilem Virum Samuelem Capaſulis Patriarcham Alexandrinum Græci ritus in admirabile lumen ſuum vocare, eique viam ſalutis oſtendere, ut ad ſuam, & omnium fidelium Matrem Romanam Eccleſiam rediret, ac Sanctitatem Veſtram, uti verum Jeſu Chriſti in terris Vicarium, totiuſque Chriſtiani Populi communem Patrem, & Paſtorem, libero non minùs ore, quàm ſyncero corde fateretur, & crederet. Fauſtiſſimum hujus rei nuncium ad Pedes Sanctitatis Veſtræ provolutus humillimè defert Religioſus Vir Joannes Joſeph Mazet Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Profeſſor, ab eodem Samuele Patriarcha Procurator ſpecialiter ad hæc conſtitutus; nec ſanè dubitat gaudium, quod indè ſumet uberrimum Sanctitas Veſtra ad inſtar illius gaudii, quod Chriſtus Dominus majus eſſe dixit in Cœlo, & coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ, completum undique fore, & cumulatum. Summâ proindè animi ſui demiſſione flagitat idem Procurator, ut prædicti Samuelis Patriarchæ literæ, & alia, quæ cum illis attulit, totius ab eo peractæ rei documenta, benignè excipiantur, & perlegantur.

Subindè memoratus Joannes Joſeph Mazet acceptas à duobus Monachis ſupradictis Patriarchę Alexandrini literas, unà cum aliis ab eo tranſmiſſis documentis reverenter omnia obtulit Sanctitati Suę, cujus juſſu ejuſmodi ſcripta D. Carolus Majella Vaticanę Bibliothecę Prefectus, ſeu primus Cuſtos, ſtans inter ſcamnum DD. Cardinalium, & Sedem Pontificiam, converſus

ſus ad DD. Cardinales, eo ipſo Græco idiomate, quo exarata erant, elatâ voce perlegit.

Mox R.P.D. Fabius Oliverius Secretarius Brevium Secretorum, loco R. P. D. Joannis Chriſtophori Battelli Brevium Epiſtolarium ad Principes Secretarii legitimè impediti, alta itidem voce legit priùs literas, ac ſubindè abjurationem prædicti Patriarchæ in Latinam linguam à memorato D. Majella translatas, quarum tenor hîc ſubjicietur.

Tenor Literarum Patriarchæ Alexandrini.

BEATISSIME, AC SANCTISSIME IN CHRISTO PATER, ET DOMINE.

AD Paternum amorem Veſtræ Beatitudinis humiliter accurro, tamquam ad benignum meum Patrem, & Paſtorem legitimum, & verum. Membrum enim Ego etiam ſum Univerſalis Corporis Chriſti in Spiritu legitimè, & canonicè electus in Præſulatum Patriarchalis Cathedræ ſecundùm omnem Conſtitutionem hujus noſtræ Orientalis Eccleſiæ; ambulans, quemadmodum edoctus eram ab adoleſcentia mea, atque inſtitutus à præfatæ Eccleſiæ Præſulibus, & Magiſtris; nec non Sancto meo Seni, & Prædeceſſori meo Patriarchæ D. Geraſimo Palladæ multos annos miniſtrans; non defuit unquam illius recta doctrina, ſimpliciſſimè tamen, propter metum, aut infructuoſitatem. In Divina igitur miſericordia me doctrinam excipiente, tamquam diſpoſito, & paulùm veritati addicto divinus zelus augebatur, ſed modus non ſuppetebat, donec Magnus Deus, qui vult ſalutem omnium, judiciis ſuis ineffabilibus permiſit, ut in afflictiones intolerandas inciderem, & graves neceſſitates. Elapſo enim à legitimo Patriarchatu octo menſium ſpatio, Coſmas quidam Epiſcopus Conſtantinopoli degens, contemptis legibus, & Canonibus Eccleſiaſticis, inſiluit, & numeratâ pecuniâ Tyrannicæ Curiæ, quæ ſupra Nos eſt, nullâ eorum, qui Eccleſiæ illius erant, habitâ ratione, extemplo ſo-

lus

lus Alexandriæ Patriarcha renunciatus eſt, & per potentiam Magiſtratus illic approbarunt. Miſit autem etiam huc graves literas, & homines idoneos, qui dominium exercerent, & me in exilium pellerent. Verùm, qui hîc erant Chriſtiani, quamquàm pauperrimi eſſent, inito conſilio conſtituerunt, ut Prævaricatorem nequaquam admitterent; cùm autem pecuniâ deſtituti eſſent, acceperunt vaſa, & veſtes ſacras, & vendentes tradiderunt Magiſtratibus, & irritos illius conatus effecerunt. Non autem hic ſubſtitit; etenim Adverſarius rurſus per validiores vires nos oppugnabat. Cùm verò nihil proficeret, huc ſe ipſe perſonaliter contulit cum potentia novi Ducis, & rurſus re infecta reverſus eſt; Juſtus enim Deus. Remanſit tamen hîc Sanctiſſimus Thronus omninò deſertus, & nudatus Eccleſiaſtico ornamento, & quod gravius eſt, conſtrictus remanſit graviſſimo ære alieno ſupra triginta millium regalium Hiſpaniæ; et quidem uſura gravis eſt, & fœneratores alienigenæ; et inimicus non ceſſavit adhuc fodere foveas in nos, & damna inferre, & validè oppugnare. Talis eſt noſtra miſeria, BEATISSIME PATER, quam confiteor ſecundùm Divinam permiſſionem. Enim verò uſque adhuc averſabar cognitionem veritatis, quam tenet, docet, & prædicat Sancta Chriſti Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, ſinè qua veritate nemo ſalvus eſſe poteſt. Quamobrem ſalutis quoque meæ curam gerens Magnus Deus, volenſque de Schiſmate me liberare, tantas tribulationes me ſubire permiſit, ut per ipſas rectam viam invenirem, quæ ducit ad Regnum Cœlorum, quam & inveni, eique gloriam reddo, qui benefecit. Sic autem accidit. Miſeriâ tribulationum oppreſſus, & omni undique ſpe deſtitutus, inaudivi quod Deus miſiſſet huc in Ægyptum Reverendiſſimum Patrem Laurentium à Sancto Laurentio Cuſtodem Sanctæ Jeruſalem. Hunc convenire cupiebam, tum propter reverentiam, & bonam famam, tum propter conſolationem, & narrationem ſalutaris deſiderii mei. Cùm autem ad eam

voluptatem capiendam acceſſiſſem, inveni Virum Reverendum in omnes partes reverentiâ dignum, qui & cognovit tribulationes meas, & omni cum alacritate, ac pietate occœpit me conſolari, & ad lumen veritatis dirigere, & ſanum membrum Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ conſtituere, atque in hujus ſanctâ, & verâ Fide, rectorumque dogmatum confirmare in ſumma ſubmiſſione, firmâque obedientiâ erga Te Summum Sacerdotem, Univerſalem, & verum JESU CHRISTI Vicarium, & Paſtorem Oecumenicum. Verùm dictus Reverendiſſimus Pater Hieroſolymam rediturus dedit mihi conſolatorem, et ductorem loco ſui admodum Reverendum P. Archangelum à Melita, qui mihi adeſt tum per ſe ipſum, tum per diſcipulum quemdam ſuum P. Joannem Joſephum Mazet Apoſtolicum Terræ Sanctæ Miſſionarium; ac veritatem ritè edoctus, conſtitutus, et exceptus ſum in Gratiâ Dei, et confiteor veram Fidem, quam tenet Sancta Catholica, et Apoſtolica Romana Eccleſia, et hujus Sanctiſſima, et Apoſtolica Cathedra, et horum dogmata. Averſans omnes falſas contrarietates, contradictiones, et ſchiſmata, meque committens paternis brachiis Sanctitatis Veſtræ; agnoſcens ſecundùm antiquiſſimum Sanctæ Eccleſiæ morem, quod ad regimen hujus ſpiritualis navis, per tot diverſas, graves, et vehementes procellas agitatæ, conveniat ſecundùm præcepta Fidei confiteri me, quòd Patriarchæ, et omnes Archiepiſcopi confirmari debeant à Sanctitate Veſtra Capite Univerſali Sanctæ Eccleſiæ. Sinè qua confirmatione non poſſumus verè paſcere proprium gregem in rectæ doctrinæ firmitate. Ad Te igitur confugio, BEATISSIME MI PATER, Præſidem meum, verum Succeſſorem B. Petri, cui Dominus noſter Jeſus Chriſtus dixit: *Paſce oves meas*; &: *Ego rogavi pro Te, ut non deficiat fides Tua*; &: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam veracem*, in tuis verbis ſcilicet, et in tuis doctrinis, *& portæ inferi non prævalebunt ipſi*. Precor igitur, ut inveniam gratiam

tiam, & miſericordiam apud Te, ut confirmes mihi Præſulatum, & mihi Pallium mittas. Ut autem Sanctitas Veſtra certa remaneat de conſcientiâ mea circa ſanam doctrinam, mitto fidei meæ profeſſionem, & abjurationem, quam feci, contra omnes falſas doctrinas, & contradictiones coram R. P. Joanne Joſepho Mazet, quem elegi in Procuratorem meum, ut hæc ſiſtat Sanctitati Veſtræ nomine meo cum ea, quæ convenit, obedientiâ; illi tribuens plenam facultatem, & poteſtatem, non ſolùm ad hæc confirmanda, & ſubſcribenda, tanquam vices meas tenenti, ſed ad ſupplendum, ſi quid defuerit, & quemadmodum ſtatuta fuerint, quæcumque placuerint Sanctitati Veſtræ, & Sanctæ Fidei debito more perficiendum nomine meo. Certiſſimus equidem mihi ſum, me ne minimùm quidem recedere à ſententiis, & præceptis Tuæ Beatitudinis, ſed & perfectum me eſſe in tuâ ſanctiſſimâ intelligentiâ, & Catholicâ Doctrinâ, ſecundùm quam, ut verus Magiſter totius Oecumenicæ Eccleſiæ, tenes, & doces. Utinam ſanctis tuis precibus non caream. Amen.

Dat. in Ægypto in meo diverſorio Anno ſalutis M. DCC. XII. Menſe Julio Indictionis V.

Culminis Veſtri Beatiſſimi, & Sanctiſſimi:

Servus humilis, & in Chriſto Filius obſequentiſſimus

Samuel Patriarcha Alexandriæ.

Locus ✣ Sigilli

Circa ſigillum:

Samuel miſericordia Dei Papa, & Patriarcha Magnæ Urbis Alexandriæ, & Judex Terræ.

Sigillum exhibet imaginem Sancti Marci, circa quam legitur:

SANCTUS MARCUS.

Foris

Ipſius SANCTISSIMÆ BEATITUDINI:

Tenor abjurationis ejuſdem Patriarchæ.

EGo Samuel Capaſulis à Chio Filius Demetrii Capaſulis, Dei miſericordia Patriarcha Alexandriæ per directionem admodum Rev. P. Archangeli à Melita, & coram RR. PP. Ægidio à Lacu Nigro Vice Præfecto Miſſionis in Ægypto, & Joanne Joſepho Mazet Apoſtolicis Terræ Sanctæ Miſſionariis, & cum aſſenſu Patrum Minorum cum iiſdem exiſtentium, habens coram me Sancta Euangelia, iiſque proprias meas manus imponens, juro ſuper ipſis, et ex corde credo, atque ore confiteor illam Sanctam Fidem Catholicam, et Apoſtolicam, quam Sancta Romana Eccleſia credit, docet, confitetur, et ſervat, et conſequenter reſpuo, averſor, et execror omnes hæreſes cujuſcumque Sectæ erroneæ, et quorumcumque Hæreticorum, qui Sanctæ Catholicæ, et Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ adverſantur.

Item juro, quòd credo, et confiteor, corde, et ore, quòd Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque procedat, tanquam ex uno Principio, uno Spiratore, et una Spiratione, et quòd Filius ſit principium hypoſtaſis Spiritus Sancti, quemadmodum et Pater; et quòd hoc Verbum (Filioque) licitè, et rationabiliter Nicæno, et Conſtantinopolitano Symbolo ſit appoſitum ab Occidentali Eccleſiâ, tanquam neceſſaria explicatio ad cohibendas hæreſes, quæ tunc temporis vigebant: et quòd in pane triticeo, ſive azymo, ſive fermentato Sacramentum Euchariſtiæ verè conficiatur: et quòd Sacerdotes alterutrum conſecrare oporteat, unumquemque ſecundùm propriæ Eccleſiæ morem, ſive Occidentalis, ſive Orientalis: & quod animæ verè pœnitentium, qui non plenè pro commiſſis, et omiſſis ſuis ſatisfecerunt, atque eatenùs in Dei charitate deceſſerunt, poſt mortem Purgatorii pœnis expientur; ad quas liberandas conducunt vivorum fidelium ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, Orationes, et Eleemoſynæ, atque alia miſericordiæ opera, quæ à Fidelibus, ſecundùm Eccleſiæ traditionem, pro animabus illis

fic-

fieri conſueverunt. Firmiter etiam affirmo, ac teneo animas eorum, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum nullam peccati maculam incurrerunt, nec non eorum, qui poſt Baptiſmum in lethale peccatum lapſi ſunt, ſed expiati in corporibus ſuis per pœnitentiam, aut extra corpus in Purgatorio, ſtatim in Cœleſtem gloriam recipi, Deumque Trinum, & Unum, uti eſt, clarè intueri. Animas autem decedentium in peccato mortali, ſive actuali, ſive ſolo originali mox in infernum deſcendere, ubi pro ratione diverſorum demeritorum diverſimodè puniuntur. Præterea Sancta, & Apoſtolica Romana Cathedra, atque eam tenens Paſtorum Princeps, & Summus Sacerdos Primatum habet ſuper omnem terram; atque hic eſt Succeſſor Sancti Petri primi, & Principis Apoſtolorum, veruſque Vicarius JESU CHRISTI Domini Noſtri, Caput totius in Chriſto Eccleſiæ, Dominus noſter, & Pater, & Magiſter omnium Chriſtianorum, ut quòd ipſi in perſona B. Petri data eſt pleniſſima poteſtas à Chriſto Domino noſtro paſcendi, regendi, et gubernandi Catholicam Eccleſiam.

Item juro, quòd amplector, et veneror omnes Sanctas Synodos, quas recipit Sancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, & præcipuè duo Oecumenica Concilia Florentinum, et Tridentinum, & reſpuo omnes falſas doctrinas veritati ſupraſcripti Dogmatis repugnantes, et veræ Fidei Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſinè qua nemo ſalvari poteſt.

Juro autem ſuper his Sacris Euangeliis, quòd nunquam conſentiam, aut eligam admittere hæreſim aliquam, aut amplecti dogma fidei contrarium Catholicæ, et Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, et veræ ipſius Fidei. Ita promitto, quòd nunquam hæreticorum libris fidem adhibebo, aut illos recipiam; ſed reprobabo, et omnes pariter hæreſes ſupraſcriptæ veræ fidei contrarias rejicio, & execror. Hæc ſpondeo hodie coram Deo Trino in Perſonis, et Uno in Natura, et in præſentia ſupradicto-

rum Teſtium, Reverendorum Patrum ſcilicet ſubſcriptorum. Anno ſalutis 1712. Menſe Majo die 26. fer. 2., ſecundùm antiquum computum, Indict. V. ſecundùm novum verò die 6. Menſis Junii ejuſdem anni. In diverſorio dictorum Patrum Miſſionariorum Apoſtolicorum Terræ Sanctæ in Ægypto.

Locus ✣ Sigilli.

Ego Samuel Capaſulis à Chio filius Demetrii Sacerdotis Capaſulis, Dei gratia Patriarcha Alexandriæ liberè, & ſpontaneè expoſui præſentem abjurationem hæreſum Catholicæ Doctrinæ, & veræ fidei oppoſitarum, quam nunc confiteor.

Ego Fr. Archangelus à Melita Minoris Obſervantiæ, & Superior apud Cairum veterem per Terram Sanctam Miſſionarius Apoſtolicus præſentem abjurationem in manibus meis emiſſam recepi.

Ego Fr. Ægidius de Lacu Nigro Pro-Præfectus Miſſionum in Terra Sancta in Ægypto teſtor me præſentem adfuiſſe in emiſſione prædictæ abjurationis.

Ego Fr. Joannes Joſeph Mazet Miſſionarius Terræ Sanctæ præſens adfui prædictæ abjurationi.

Peractâ ejuſmodi recitatione R.P.D. Lambertinus ſuam Orationem, & ſupplicationem ita proſecutus fuit.

BEATISSIME PATER.

AUdivit jam Sanctitas Veſtra, quid afferant literæ Patriarchæ Alexandrini; audivit quid alia, quæ modò lecta ſunt, contineant: audivit filium matris ubera humiliter petentem, qui diù errans ab utero locutus fuerat falſa. Audire nunc Sanctitas Veſtra non dedignabitur Orthodoxæ Fidei profeſſionem, quàm ultra aliam, & ſanè pleniſſimam ab eodem Patriarcha emiſſam, & Sanctitati Veſtræ exhibitam, illius nomine mox emittet Religioſus hic Vir Joannes Joſeph Mazet, ſpeciali ad id ſuffultus mandato, juxta formam Græcis ad unitatem S. R. E. redeuntibus à Sede Apoſtolica præſcriptam, ſolemni additâ promiſſione, quod fidei profeſſionem hujuſmodi juxta formam prædictam idem Patriarcha ratam, & gratam habebit, et publicum ritè confectæ ratificationis Inſtrumentum ad Sanctitatem

Ve-

Veſtram, et hanc Sanctam Apoſtolicam Sedem intrà tempus competens omninò tranſmittet.

Surgens hic prædictus Jo: Joſeph Mazet ab uno ex DD. Cæremoniarum Magiſtris ante Pontificiam Sedem deductus fuit, ibique flexis genibus Fidei profeſſionem juxta formulam Græcis ad unitatem S. R. Eccleſiæ redeuntibus à Sede Apoſtolica dudum præſcriptam ejuſdem Patriarchæ nomine ſolemniter emiſit, ſeu potius renovavit, recitatâ altâ voce eâdem formulâ tenoris, qui ſequitur, videlicet.

EGo F. Joannes Joſeph Mazet Ordinis Min. S. Franciſci de Obſervantia Procurator Venerabilis Fratris Samuelis Capaſulis Patriarchæ Alexandrini Græci Ritus ad Pedes Sanctitatis Veſtræ conſtitutus procuratorio nomine prædicti Samuelis Patriarchæ mei principalis infraſcriptam Sanctæ orthodoxæ Fidei profeſſionem juxta formam Græcis ad unitatem S. R. E. redeuntibus à Sede Apoſtolica jamdudum præſcriptam facturus, & emiſſurus promitto pro eodem Samuele Patriarcha meo Principali, quòd ipſe illam ratam, & gratam habebit, ac ſuſcipiet, & acceptabit, & intrà tempus competens ratificabit, & emologabit, atque de novo juxta eamdem formam de verbo ad verbum, Græco tamen idiomate, faciet, & mittet, ac ſua manu ſubſcriptam, ſuo ſigillo obſignatam, ad Sanctitatem Veſtram, & hanc Sanctam Apoſtolicam Sedem tranſmittet. Sanctam igitur Catholicam Fidem explicitè, & expreſsè profitendo firmâ fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: *Credo in unum Deum &c.*

Reliqua, ut in profeſſione orthodoxæ Fidei à Græcis facienda juſſu fel. rec. Gregorii Papæ XIII. edita.

Hanc verò Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum con-

conſtantiſſimè, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem F. Jo: Joſeph Mazet Procurator ſupradicti Venerabilis Fratris Samuelis Patriarchæ Procuratorio illius nomine, ut ſupra, ſpondeo, voveo, ac juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Abſolutâ prædictæ formulæ recitatione, eâque propriâ manu ſubſignatâ, idem Jo. Joſeph Mazet priorem locum repetiit, præfatus verò R. P. D. Lambertinus ſuam orationem his tandem verbis concluſit.

BEATISSIME PATER.

IN literis Patriarchæ Alexandrini, aliiſque actis, quæ nuper lecta fuerunt, præter hæreſum, errorum, ac luctuoſi ſchiſmatis ab eo ampliſſimè factam ejurationem, præter perpetuam, ac debitam obedientiam, & ſubjectionem Sanctitati Veſtræ, atque huic Sanctæ Sedi pleniſſimè præſtitam, habetur etiam petitio, quæ juxta veterem morem, ac Romani Cæremonialis præſcriptum, nonniſi in hoc loco, & ab aliquo ex Conſiſtorialis Aulæ Advocatis exponi poteſt. Cùm idcircò ſummâ Sanctitatis Veſtræ beneficentiâ ſim inter illos adſcitus, Majorum conſuetudini morem gerens, quæ ſupplex petit idem Patriarcha paucis exponam.

Samuel itaque Capaſulis Patriarcha Alexandrinus omni, quo par eſt, obſequio, animique totâ ſubmiſſione, Pallium petit, quod è Sancti Petri corpore ſumitur, & in quo Paſtoralis officii plenitudo continetur. Non inani ſpe innititur fore, ut voti compos fiat, cùm Alexandrina Eccleſia eximiæ hujus prærogativæ honorem non uno equidem nomine mereatur. In primis ſiquidem S. Marcus Euangeliſta Beatiſſimi Apoſtolorum Principis in Chriſto Filius, & ab eo Alexandriam miſſus Eccleſiam il-

lam

lam fundavit, & rexit, unde jure optimo eadem Eccleſia cenſenda eſt peculiaris hæreditas B. Petri, qui per filium ſuum, & ejus ſalutarem Euangelii prædicationem ſibi eam comparavit. Illius porrò primi Chriſtiani morum integritate, ac ſanctis exemplis vitam adeò commendatam duxerunt, ut, teſte D. Hieronymo, Philo Hebræus Eſſenorum mores penè Angelicos laudans, Alexandrinorum illius temporis virtutes omni ex parte ſpectatas indigitare voluerit, illarum, vel admiratione ductus, vel ſanctitate permotus. Merita prætereà Antiſtitum celebris illius Eccleſiæ id ipſum exigunt, nam ut nemo ferè ignorat, Alexandrini Patriarchæ plurimùm elaborarunt, omnique ope, ac zelo contenderunt, ut turbæ, quas controverſia de die, quo Paſcha ritè celebraretur inter Chriſtianos excitaverat, componerentur; præ cæteris autem, quod Eccleſiæ monumenta luculenter produnt, S. Athanaſius in aſſerenda, ac propugnandâ divinâ cum Patre Filii conſubſtantialitate meritorum gloriâ eminuit, Fidei causâ quæque aſpera, & acerba perpeſſus. His accedit Alexandrinam Eccleſiam, poſt Romanam, primam fuiſſe uſque ad Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III., qui ſubindè ejuſmodi honorem Eccleſiæ contulit Conſtantinopolitanæ. Ipſe quoque Samuel Patriarcha eo, quod flagitat, Pallio ſe dignum præbet, quippe qui, ut ex literis nuper audivimus, damnato ſchiſmate, eique annexis erroribus ejuratis, ad Romanæ Eccleſiæ unitatem recipi, & admitti ſuppliciter petit, Sedique Apoſtolicæ ſe totum tradit, ac ſubjicit ſyncerâ Orthodoxæ Fidei profeſſione, ſuam cum Catholica Eccleſia conſenſionem teſtatus, rarò quidem exemplo, nec paſſim obvio. Hic quidem Samuel Patriarcha non adeſt: illius tamen adeſt nomine legitimus iſte Apocriſarius, qui Patriarchæ Pallii honorem ſupplex flagitat. Quod ſi in Canonicis Sanctionibus inter eos, quibus Pallii decus Apoſtolica Sedes conferre ſolet, Alexandrinus Patriarcha illuſtrem obtinet locum, honorifica, & ſpeciali appellatione laudatus, & Sanctus

Gre-

Gregorius Pontifex Maximus Pallium dari pro antiqua Eccleſiæ conſuetudine, cùm petentium merita precibus non inane commendationis pondus adjiciunt, ſuâ teſtatur auctoritate, nihil planè obſtare videtur, quod clementiſſimæ Sanctitatis Veſtræ dignationi moram afferat, quin Oratoris precibus inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè emiſſis indulgeat, ac vota conſoletur, ea potiſſimùm etiam de cauſa, quòd ſperare facilè poſſumus Patriarcham hoc obſtrictum, atque illectum beneficio ardentiùs enixurum, ut Populos Paſtorali ſuæ curæ commiſſos, ſimulque Epiſcopos ſuæ Juriſdictioni ſubjectos, quibus præivit exemplo, ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam ſolicito zelo ſecum perducat.

Illicò Sanctiſſimus Pater ejuſmodi orationi, ac petitioni in hæc verba reſpondit.

BEnedictus Deus, & Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur Nos in omni tribulatione noſtra. Intuens ſcilicet piiſſimus Dominus Catholicam Eccleſiam innumeris agitari turbinibus, fauſtiſſimo illam eventu, hoc eſt humili, ac ſyncero ad eam reditu Venerabilis Fratris Samuelis Patriarchæ Alexandrini, lætificare voluit, eoque maximum anguſtiis noſtris levamen afferre dignatus eſt. Non tamen in uno Patriarcha ſiſtit lætitia noſtra; perpendentes enim eximiam illius pietatem, cujus tam præclarum accepimus hodie teſtimonium, nec non ſingularem, quam, ut Nobis innotuit, apud ſuas latè gentes exiſtimationem obtinet, uberiorem in dies ſpiritualium gaudiorum meſſem expectamus; ad eadem ſiquidem ſequenda veſtigia omnibus Græci ritus Populis, ac præſertim Epiſcopis, valido incitamento futurum Patriarchæ tam illuſtris exemplum ſummoperè confidimus. Plurimas propterea, ac debitas ſupremo bonorum omnium Auctori gratias agimus, quòd Alexandrinum Antiſtitem ad Beatiſſimi Apoſtolorum Principis, indignum licèt, ac imme-

ren-

rentem Succeſſorem, hoc eſt Marcum ad Petrum, Diſcipulum ad Magiſtrum, Filium ad Patrem, iis propemodùm diebus, quibus ipſius Beati Marci, nec non Sanctiſſimi Alexandrini Epiſcopi Athanaſii feſta celebramus, quod certè non ſinè peculiari Divinæ Providentiæ conſilio contigiſſe arbitramur, per ineffabilem Divinæ ſuæ bonitatis abundantiam vocare voluerit: felix indè omen accipientes, quòd Is, cujus perfecta ſunt opera, Alexandrinæ Eccleſiæ Gregem univerſum Paſtoris ſui exemplo ad hanc Petram fidei confugere, & ad hunc Montem Domini aſcendere ſimiliter faciet, ut legem accipiat in Sion, & Verbum Domini audiat in Hieruſalem. Expanſis interim Pontificiæ charitatis brachiis, magnâque cum animi noſtri exultatione, unà cum iſtis Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, plenam, ac debitam ab eodem Patriarcha Alexandrino, tam per ſuas mox perlectas literas, quàm per legitimum Procuratorem ſuum Nobis, & huic Sanctæ Sedi præſtitam obedientiam, ac ſubjectionem libenter recipimus: noſtram illi viciſſim, & ejuſdem Sanctæ Sedis gratiam, benevolentiam, & patrocinium amantiſſimè exhibentes. Petitæ inſuper conceſſioni Pallii de Beati Petri corpore ſumpti, in quo eſt plenitudo Pontificalis Officii, eidem Samueli Patriarchæ, poſtquam orthodoxæ Fidei profeſſionem ab ejus Procuratore hîc renovatam ratificaverit, ab illo, cui rem hanc delegabimus, juſſu noſtro tradendi, ſimiliter annuimus; prævià tamen ipſius Samuelis Patriarchæ in utroque foro abſolutione à Cenſuris, ſententiis, & pœnis Eccleſiaſticis quibuslibet, quas ipſe propter Schiſma, hæreſes, & errores, quos tenuit, & nuper ejuravit, quovis modo incurrit: prævià inſuper cum eo diſpenſatione ſuper irregularitate per ipſum præmiſſorum occaſione quomodolibet contracta, itaut illâ, & iiſdem præmiſſis minimè obſtantibus, Clericali charactere, quo anteà inſignitus fuit, illiuſque privilegiis uti, ac in omnibus etiam Sacris, & Presbyteratus Ordinibus anteà pariter ſuſceptis, etiam in Altaris mi-

nisterio miniſtrare ; nec non Patriarchali Eccleſiæ Alexandrinæ, cui nunc præeſt, quoad vixerit, præeſſe, & munere Conſecrationis per eum etiam antea ſuſcepto uti liberè, & licitè poſſit, & valeat; ac demùm prævia ejuſdem Samuelis Patriarchæ ad hæc omnia, & ſingula, & aliàs ad quemcumque effectum adversùs præmiſſa opportunâ rehabilitatione. Reliquum nunc eſt, ut Deum Optimum Maximum impensè rogemus, quatenùs opus, quod ipſe operatus eſt, confirmare dignetur, illudque in unitate Fidei, & vinculis charitatis lætioribus in dies perficiat incrementis.

Finito Sanctiſſimi Patris reſponſo D. Nicolaus Jacobatius Sanctitatis Suæ, & Cameræ Apoſtolicæ Procurator Generalis ad RR. PP. DD. Protonotarios, & Notarios Apoſtolicos ibi præſentes converſus, eos in hunc modum interpellavit.

EGo Nicolaus Jacobatius Sanctiſſimi Domini Noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Procurator Generalis, rogo Vos omnes Protonotarios, & Notarios Apoſtolicos hîc præſentes, ut de delatione, ac præſentatione eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro facta per Fratrem Joannem Joſephum Mazet Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum literarum Venerabilis Patris Samuelis Capaſulis Patriarchæ Alexandrini Græci ritus, continentium omnimodam obedientiam, & ſubjectionem, quam idem Patriarcha præſtat, & exhibet Sanctitati Suæ, & Sanctæ huic Sedi Apoſtolicæ: Nec non authentici documenti ejurationis à prædicto Patriarcha factæ ſchiſmatis, & quorumcumque errorum, in quibus priùs verſabatur, ipſarumque literarum, & ejurationis lectione: Ac inſuper de profeſſione Fidei à præfato Fratre Joanne Joſepho procuratorio nomine ejuſdem Patriarchæ juxta formam Græcis ad unitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ redeuntibus à Sede Apoſtolica præſcriptam in manibus Sanctitatis ſuæ ſolemniter emiſſa; Ac demùm de petitione Pallii de corpore Beati Petri ſumpti pro prædicto Patriarcha fa-

cta, Decretoque ſuper illius conceſſione à Sanctitate Sua benignè edito unum, ſeu plura, publicum, ſeu publica conficiatis Inſtrumentum, vel Inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Tunc demum R.P.D. Proſper Columna Protonotarius Apoſtolicus antiquior non tam ad RR. PP. DD. Referendarios; quàm ad cæteros omnes ibidem præſentes converſus, eos Actorum hujuſmodi Teſtes adhibuit his verbis: Vobis Teſtibus.

Peracto in hunc modum, abſolutoque Alexandrinæ legationis negotio, prædictus Procurator Mazet, ac cæteri alii ex Græca Natione Pedem Sanctitatis Suæ ſuper eos Crucis ſignum producentis reverenter oſculati ſunt, ac ſubindè tum ipſi, tum reliqui omnes dimiſſi fuerunt, itaut Sanctiſſimus cum D.D. Cardinalibus, foribus de more clauſis, ſolus remanſerit; Porrò alia occurrentia negotia ibidem aggrediens, antèquam propoſitiones, & præconia Eccleſiarum inchoarentur, ipſos DD. Cardinales his verbis in hoc Conſiſtorio ſecreto allocutus eſt.

VENERABILES FRATRES.

L. E Sublimi Sanctæ hujus Sedis ſpecula ad gravia potiſſimùm, ac multiplicia incommoda, quibus tot in Hiſpaniarum Regnis vacantes Eccleſiæ jamdudum obnoxiæ reperiuntur, Paſtoralis vigilantiæ noſtræ oculos jugiter convertentes, diù ſanè, multumque incerti hæſimus, quid pro inſtantiâ noſtrâ quotidianâ, ſolicitudine ſcilicet omnium Eccleſiarum, agendum Nobis eſſet, ut impoſitum Nobis per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam Apoſtolicum Miniſterium hac in re impleremus. Hinc ſiquidem admonebat Nos Sacrorum Canonum rigor, ut quos ad eaſdem Eccleſias à Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico Nobis præſentari contigiſſet, minimè admitteremus, niſi priùs noſtra, & Eccleſiæ jura, ibidem tam publicè, ac graviter læſa opportunis mediis ſarcita fuiſſent. Urgebat illinc, ac vehementer impellebat Nos Ponti-

ficia charitas, ut ſpiritualibus illarum animarum neceſſitatibus, quæ jam à multo tempore Paſtoris ſolatio deſtitutæ ſunt, incunctanter conſuleremus. Expenſis porrò in utramque partem rationum momentis, vicit demum charitas Chriſti, quæ patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Ejuſmodi proindè Eccleſiarum diuturnâ viduitate commoti, aliiſque gravibus cauſis animum noſtrum moventibus adducti, de quamplurium ex Fraternitatibus Veſtris conſilio pariter, & aſſenſu, longiori quavis ſublatâ morâ, Eccleſiis præfatis Paſtores præficere conſtituimus, eumque in finem indulſimus, ut in hoc ipſo Conſiſtorio conſueta dictarum Eccleſiarum præconia, quemadmodum audietis, inchoentur. Id tamen egimus, ac agere prorsùs intendimus, non quidem animo ullâ ex parte relaxandi ea, quæ Nobis, & Eccleſiæ pro congruâ notarum læſionum reparatione debentur, ſed potiùs ſpe Nobis propoſita fore, ut idem Rex Catholicus novo hoc, & ſanè præclaro Paternæ noſtræ in ipſum benevolentiæ documento allectus: Chriſtianiſſimi inſuper Regis Avi ſui, cujus inſignis zelus, & pietas hac etiam occaſione eximiè refulſit, iteratis officiis, accuratiſque ſtudiis excitatus: ipsâ demum ſuæ regiæ mentis æquitate, ac magnitudine impulſus, ad ejuſmodi reparationem alacriùs, & cumulatiùs præſtandam adducatur. Hæc omnia, VENERABILES FRATRES, Vobis hodie communicanda exiſtimavimus, tum ut compertum Vobis ſit, quo animo deliberationem hanc ſuſceperimus, tum etiam, ut pro egregiâ pietate, ac perſpecto zelo veſtro apud Miſericordiarum Patrem enixis precibus agatis, quatenus conſilium noſtrum cœleſti ſua ope juvare, optatumque ad exitum perducere benignè velit, unde lætiora de cætero, quemadmodum impensè cupimus, ac in Domino confidimus, Vobis nunciare poſſimus.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 22. Maji 1713.

ARGUMENTUM.

Præficit Eccleſiæ Tornacenſi in Epiſcopum, & Paſtorem Jo: Erneſtum ex Comitibus à Lovvenſtein abſque ulla prævia cujuſquam nominatione, & cum narrativa, quod ejuſdem Eccleſiæ proviſio ob ceſſationem Indulti à Clemente IX. Regi Chriſtianiſſimo, ejuſque Succeſſoribus dudum conceſſi ad Sedem Apoſtolicam liberè omninò pertineat.

VENERABILES FRATRES.

VAcat Eccleſia Tornacenſis per liberam dimiſſionem Venerabilis Fratris Renati Franciſci de Beauveau in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam. LL

Tornacum Civitas Belgii, Caputque Provinciæ, quæ ab eadem Civitate Tornacenſi nomen accipit, quadraginta mille circiter habitatores continet.

Cathedralem habet Eccleſiam ſub invocatione B. Mariæ Virginis amplæ, antiquæ, ac reparatæ ſtructuræ Archiepiſcopo Cameracenſi ſuffraganeam.

Numerantur inibi quinque Dignitates, quarum major eſt

De-

Decanatus, quadraginta duo Canonici, inter quos Theologus, & Pœnitentiarius, ac centum ferè Presbyteri, & Clerici Divinis inſervientes.

Sacrarium ejuſdem Eccleſiæ eſt omni ſacra Supellectili ornatum; Ædes verò Epiſcopales, quæ Cathedrali Eccleſiæ adhærent, nulla indigent reſtauratione.

In præfatâ Civitate Tornacenſi præter Cathedralem, ſeptem recenſentur Eccleſiæ Parochiales, quinque Virorum, & ſex Mulierum Monaſteria, plures Confraternitates, aliquot Hoſpitalia, & Seminarium; prætereà adeſt alius locus publicus Monti Pietatis ferè conſimilis.

Fructus taxantur in libris Cameræ ad Florenos quinque mille; aſcendunt autem ad triginta quinque millia librarum Turonenſium, nullâ penſione gravati.

Hujuſmodi Eccleſiæ proviſio (ceſſante jam Indulto ad illam nominandi Perſonam idoneam, quod dudum à fel. rec. Clemente Papa IX. Prædeceſſore noſtro, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico, ejuſque Succeſſoribus Francorum Regibus Chriſtianiſſimis, qui pro tempore dictam Civitatem Tornacenſem poſſediſſent, conceſſum fuerat) ad Nos, & Sedem Apoſtolicam liberè omninò nunc ſpectat; Idcircò, ut ex injuncto Nobis Paſtoralis muneris debito, non minùs Catholicæ Religionis rationibus, quàm aliis ſpiritualibus illius Eccleſiæ indigentiis, quæ ob diuturnam noviſſimi Epiſcopi abſentiam, aliaſque nimiùm notas cauſas graviſſima ſuſtinuit detrimenta, quantocitius poſſumus, opportunè conſulamus; jure noſtro utentes, eidem Eccleſiæ præficere intendimus Dilectum Filium Joannem Erneſtum ex Comitibus à Lovvenſtein de legitimo Conjugio ex Catholicis, Nobilibuſque Parentibus in Diœceſi Herbipolenſi procreatum, quadrageſimum quintum ætatis annum agentem, & in Sacro Subdiaconatus Ordine conſtitutum, Metropolitanæ Eccleſiæ Colonien.

Canonicum, nec non Decanum, & Canonicum Cathedralis Ecclesiæ Argentinen., ac Præpositum, & Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Petri junioris pariter Argentinen., quarum singulis laudabiliter per plures annos inservivit, & in unaquaque earum plura pietatis, doctrinæ, ac prudentiæ exhibuit argumenta.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostrâ providemus præfatæ Ecclesiæ Tornacensi de Persona prænominati Joannis Ernesti, præficientes eum in Episcopum, & Pastorem, cum dispensatione super eo quòd non fuerit ante sex menses, imò nec adhuc de præsenti sit Presbyter, sed dumtaxat in Sacro Subdiaconatus Ordine constitutus, neque ullo Doctoratus, Magisterii, aliove gradu decoratus reperiatur, ac cum retentione ad decennium Canonicatus, & Præbendæ Ecclesiæ Colonienſis, quos obtinet, & ad sui vitam Canonicatus, & Decanatus Ecclesiæ Argentinensis, unà cum Monasteriis S. Vincentii, & alterius S. Joannis à Pratis, S. Benedicti, & S. Augustini Canonicorum Regularium, Laudunensis, & Audomarensis respectivè Ordinum, & Diœcesum; ac insuper cum Decreto, quòd à die captæ possessionis Ecclesiæ Tornacensis, Canonicatum, & Præposituram Collegiatæ S. Petri junioris Civitatis Argentinensis intrà sex menses dimittere debeat; quòdque regimini, & administrationi prædictæ Ecclesiæ Tornacensis nullatenus se immiscеat, nisi priùs Sacris Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus fuerit insignitus; quòdque antequam munus Consecrationis suscipiat, Fidei professionem emittere, & ad Urbem intrà præfixum tempus transmittere omninò teneatur.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 18. Septembris 1713.

ARGUMENTUM.

Confirmat electionem de perſonâ Raymundi Ferdinandi ex Comitibus de Rabatta in Epiſcopum Eccleſiæ Paſſavienſis ab illius Capitulo, & Canonicis, tametſi eadem Eccleſia per obitum bo. me. Cardinalis de Lamberg vacaret, adeôque Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni ſpecialiter reſervata exiſteret, ritè factam, attento peculiari Indulto à S. M. Innocentio XII. ante promotionem defuncti Cardinalis, tunc Epiſcopi, ad Sacram Purpuram, præfatis Capitulo, & Canonicis benignè conceſſo: prævia caſſatione Capitulationum ab ipſis initarum, & cum ſuppletione quorumcumque defectuum.

VENERABILES FRATRES.

LII.

Acat Eccleſia Paſſavienſis per obitum bo: me: Joannis Philippi, dum vixit, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Lamberg ultimi illius Præſulis.

Civitas Paſſavienſis ſita eſt in Bavaria inferiori inter Danubium, & Oenum fluvios, ac bis mille circiter habitatores continet, qui pro tempore exiſtenti ipſius Civitatis Epiſcopo etiam in temporalibus ſubjacent.

Extat

Extat in ea Cathedralis Eccleſia in honorem Sancti Stephani Protomartyris dicata, modernæ ſtructuræ, nullâ indigens reparatione; cui duæ inſerviunt Dignitates, quarum prima Præpoſitura, viginti quatuor Canonici, Præbendis tamen Theologali, & Pœnitentiariâ carentes, nonnulli Cappellani, aliique Presbyteri, & Clerici divinis addicti.

Ejuſdem Eccleſiæ Sacrarium Sacra Suppellectili ſufficienter inſtructum reperitur. Epiſcopales Ædes Cathedrali ſunt proximæ, nullâque egent reparatione.

Præter Cathedralem prædictam alia tantum in Civitate exiſtit Parochialis Eccleſia; Adſunt tamen tria Virorum, ac unum Mulierum Monaſteria, duo Hoſpitalia, & Seminarium; ſed deſideratur Mons Pietatis.

Fructus taxantur in libris Cameræ ad Florenos quinque mille, aſcendunt verò ad centum millia, et ultra Florenorum monetæ illarum partium, pluribus oneribus gravati.

Eidem Eccleſiæ præficere intendimus Dilectum Filium Raymundum Ferdinandum ex Comitibus de Rabatta, ex legitimis nuptiis, Catholiciſque, aç Nobilibus Parentibus in Diœceſi Aquilejenſi progenitum, quadragenario majorem, à pluribus annis Presbyterum, nec non præfatæ Eccleſiæ Paſſavienſis Canonicum, qui à Dilectis Filiis Capitulo, et Canonicis ejuſdem Paſſavienſis Eccleſiæ, vigore ſpecialis Indulti eis ab hac Sancta Sede conceſſi, in Epiſcopum electus fuit; Illis ſiquidem fel. record. Innocentius Papa XII. Prædeceſſor noſter per ſuas literas in forma Brevis, pridiè quàm noviſſimè defunctum Joannem Philippum Cardinalem de Lamberg, tunc Epiſcopum Paſſavienſem, ad Sacram Purpuram promoveret, hoc eſt, die vigeſima Maji anni milleſimi ſeptingenteſimi expeditas, de ſpecialis dono gratiæ indulſit, ut ſi contingeret eumdem Joannem Philippum Epiſcopum etiam apud Sedem Apoſtolicam obire, licèt ipſa Eccleſia Paſſavienſis per obitum hujuſmodi ex quovis capi-

te, etiam ſpeciali nota, & expreſſione digno, ejuſdem Sedis diſpoſitioni generaliter, vel ſpecialiter reſervata, aut quovis modo affecta tunc reperiretur, nihilominùs electio perſonæ idoneæ in locum memorati Joannis Philippi Epiſcopi prædictæ Eccleſiæ Paſſavienſi in Epiſcopum à Romano Pontifice pro tempore exiſtente ad electionem hujuſmodi præficiendæ ad ipſos Capitulum, & Canonicos, ad quos cæteroqui eadem electio juxta Concordata dudùm inter Sedem Apoſtolicam præfatam, & inclytam Nationem Germanicam inita, vel Privilegia Apoſtolica, aut aliàs legitimè ſpectare dignoſcebatur, ſimiliter omninò ſpectaret, & pertineret in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi ipſa Eccleſia Paſſavienſis dictæ Sedis diſpoſitioni nullatenùs reſervata, vel affecta exiſteret, & aliàs, prout in præfatis ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris literis uberiùs continetur.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ confirmamus, & approbamus Electionem, ſicut præmittitur, factam à præfatis Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Paſſavienſis, eidemque Eccleſiæ providemus de perſona prænominati Raymundi Ferdinandi, præficientes eum dictæ Eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem; prævià tamen caſſatione, rejectione, & abolitione Capitulationum, ſeu Pactionum ab eiſdem Capitulo, & Canonicis ante ipſam Electionem cum reſervatione Apoſtolicæ confirmationis initarum, & per eorum quemlibet juramento vallatarum; quas propterea juxta formam noviſſimæ Conſtitutionis memorati Innocentii XII. Prædeceſſoris noſtri die vigeſima ſecunda Septembris anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quinto hac in re editæ, quæ incipit: *Eccleſiæ Catholicæ*: ne ex quovis temporis lapſu, aut ex quacumque alia cauſa tacitè, vel expreſsè per Nos, & Sedem Apoſtolicam approbatæ, ſeu confirmatæ cenſeri, vel præſumi umquam poſſint, diſertè, & expreſsè nullas, irritas, & invalidas, viribuſque,

que, & effectu penitùs, & omninò vacuas, ac nullius roboris, & momenti esse, & perpetuò fore, neminemque ad illarum, seu cujuslibet earum observantiam teneri, aut obligatum existere, vel fore, perindè ac si illæ nunquam factæ, initæ, aut juratæ fuissent, declaramus; Ac tam ipsi Raymundo Ferdinando Electo, quàm omnibus aliis quodcumque juramentum de observandis Capitulationibus, seu Pactionibus hujusmodi ab eis, ut præfertur, præstitum, quatenus opus sit, relaxamus. Cum suppletione omnium, & quorumcumque defectuum etiam substantialium, siqui quomodolibet in eadem Electione intervenerint, juxta Decretum Congregationis rerum Consistorialium, nec non cum dispensatione super defectu gradus in Electo, ac Decreto, quòd ipse Præbendas Theologalem, & Pœnitentiariam instituat, Montemque Pietatis erigi curet, ejus conscientiam super his onerantes.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 27. Novembris 1713.

ARGUMENTUM.

Declarat, ac deputat ſuum, Sediſque Apoſtolicæ de Latere Legatum Romandiolæ D. Cardinalem Gozzadinum.

VENERABILES FRATRES.

LIII.

Acante jamdudum Legatione Romandiolæ, per translationem, quam indè fecimus ferè à quatuor annis Dilecti Filii Noſtri Thomæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Ruffi ad Legationem Ferrariæ, præficere modò intendimus eidem Legationi Romandiolæ Dilectum pariter Filium Noſtrum Ulyſſem Joſephum ejuſdem S. R. E. Cardinalem Gozzadinum, de cujus fide, doctrina, prudentia, atque integritate plurimùm in Domino confidimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus, & deputamus noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum Romandiolæ præfatum Cardinalem Gozzadinum ad triennium cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Die

Die 16. Februarii 1714.

ARGUMENTUM.

Excepit benignè coram ſex DD. Cardinalibus, videlicet de Abdua, Sacripante, Paulutio, Imperiali, Columna, & Albano, Marchionem de Priè Caroli Sexti Romanorum Regis in Imperatorem electi Oratorem, ſpecialiter à Majeſtate Sua delegatum ad illa omnia ejus nomine Sanctitati Suæ præſtanda, & ad ea reſpectivè poſtulanda, quæ illius Majores in Romanorum Reges, & Imperatores recens electi Romanis Pontificibus præſtare, & ab iis reſpectivè poſtulare conſueverunt.

Admiſſus ad audientiam Sanctitatis Suæ idem Marchio de Priè Orator coram ſupradictis ſex DD. Cardinalibus, & quidem ſedentibus, primò oſculatus fuit Pedes Sanctitatis Suæ, ac genuflexus eidem exhibuit literas electi Imperatoris, quæ à Sanctitate Sua traditæ fuerunt D. Cardinali Paulutio ſuo Secretario Status, ut illas legeret, prout fecit alta voce omnibus ſedentibus. Porrò ipſarum literarum tenor eſt, qui ſequitur, videlicet.

Foris. BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO CLEMENTI UNDECIMO DIVINA PROVIDENTIA SANCTÆ ROMANÆ, AC UNIVERSALIS ECCLESIÆ SUMMO PONTIFICI DOMINO REVERENDISSIMO.

Intus verò:

BEATISSIME IN CHRISTO PATER DOMINE REVERENDISSIME.

POst officioſiſſimam commendationem filialis obſervantiæ continuum incrementum. Injungimus noſtro apud Sanctitatem Veſtram Oratori Illuſtri, & Magnifico, Sacrique Imperii fideli dilecto Herculi Joſepho Ludovico Turinetti Marchioni de Priè, ut Sanctitati Veſtræ tum obitum Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Joſephi Fratris noſtri chariſſimi, tum ſuſcepta à Nobis fuiſſe Imperii gubernacula, ea, qua par eſt, animi devotione ſignificet, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ more Majorum noſtrorum omnem illam obſervantiam, & filialis amoris affectum teſtetur, qui obſervantiſſimum Sanctæ Eccleſiæ Filium, Imperatorem verè Chriſtianum, atque Catholicum decet, eâ firmâ, ac filiali ſpe freti, quam Nobis ſynceræ, piæque mentis tribuit fiducia, fore ut id officii Sanctitati Veſtræ tam gratum, acceptumque accidat, quàm nos integrè, devotêque intendimus ea omnia facere, & præſtare, quæ ad majorem Divini Numinis gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ incrementum, nec non Sanctitatis Veſtræ ſolatium facere, & ſpectare poſſunt. De quibus omnibus cùm dictus Orator noſter explicabit pluribus mentem noſtram, reverenter poſtulamus ab eadem Sanctitate Veſtra, ut plenam ipſi fidem adhibeat, ſimulque, utì confidimus, ſolitos Pontificiæ benevolentiæ fructus Nobis impertiatur. Eidem de cętero vitam à Deo beatam, ac diuturnam ad majus Eccleſiæ Sanctæ decus ex animo precamur. Datum in Urbe noſtra

Vien-

Viennæ die decimaquinta Menſis Octobris Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo, Regnorum Noſtrorum, Romani primò, Hiſpanicorum decimò, Hungarici, & Bohemici verò ſecundo.

SANCTITATIS VESTRÆ.

Obſequens Filius
Carolus.

Completa literarum lectione prædictus Orator ſtans locutus fuit, ut ſequitur.

BEATISSIME PATER.

ETſi Sacra Cæſarea Majeſtas Dominus meus Clementiſſimus Sanctitatem Veſtram tam de obitu Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Joſephi Fratris ſui omni ævo plurimùm colendi, quàm de ſuâ Imperialis Solii conſcenſione literis ſuis jampridem edocuerit, nihilominus ut iſthoc officium eò ſolemniùs perficeretur, Sanctitati Veſtræ utrumque denuò hiſce ſignificari, eamdemque per me de conſtanti filialis ſuæ erga Sanctitatem Veſtram, Sedemque Apoſtolicam obſervantiæ ſtudio certiorem fieri voluit. Quod utì Majorum ſuorum exemplo quacumque opportunitate teſtatum reddere, omniaque ea, quæ obedientiſſimum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Filium, ſtrenuumque ejuſdem Advocatum, ac defenſorem decent, re ipsâ præſtare promittit; ita viciſſim Sanctitatem Veſtram enixè, reverenterque rogat, ut quidquid ejuſdem Prædeceſſores in rei Imperialis, & Auſtriacæ commodum, & incrementum quovis modo contulerunt, ac deinceps conferendum eſſet, id quoque Sanctitas Veſtra Sacræ Suæ Cæſareæ Majeſtati, Auguſtæque Domui Auſtriacæ liberaliter impertiri velit; quod dum altè memorata Sacra Cæſarea Majeſtas de Paterno Sanctitatis Veſtræ affectu omninò ſibi pollicetur, ab eadem Benedictionem Apoſtolicam inſtantiſſimè deprecatur.

Huic

Huic Orationi Sanctitas Sua reſpondit illicò in hæc verba, quæ audita fuerunt à dicto Marchione de Priè Oratore, ſimiliter ſtante, DD. Cardinalibus, ut ſupra, ſedentibus.

LIV. SIngularem, ac planè exultantem lætitiam, quam ex fauſtiſſima Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli in Romanorum Regem, & futurum Imperatorem electione jampridem ſuſcepimus, plurimum hodie auctam, ac verè completam experimur, ob præclaras ejuſdem Caroli Regis in Nos, & hanc Sanctam Sedem conſtantis ſuæ, ac filialis obſervantiæ ſignificationes, quas abundè Nobis tam ſuis ad Nos datis literis reddi voluit, quàm uberius à Te, Nobilis Orator, explicari mandavit: ut certi ſcilicet magis, magiſque eſſe poſſemus Majeſtatem ſuam ab inclytis, & Auguſtis Majoribus ſuis minimè degenerem, ad omnia, quæ obedientiſſimum hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Filium decent, quavis ſibi datâ occaſione, accuratè, ac ſtudioſè præſtanda ſemper fore paratiſſimam. Quàm læta hæc Nobis, & grata acciderint, planè Tibi perſuaſum, atque exploratum eſſe non ambigimus; Scire tamen Te volumus eo etiam nomine acceptiora fuiſſe, quòd Nobis à Te declarata fuerint, cujus ſingulares dotes, ac eximia decora Almæ huic Urbi noſtræ apprimè perſpecta, ſicut omnium ad ſe animos jamdudum allexerant, ita Pontificiam noſtram benevolentiam in primis meruerant. Piiſſimi itaque Cæſaris ad Catholicæ Religionis patrocinium, ad Eccleſiæ incrementum, ad Apoſtolicæ Sedis tutelam tam magnificè exhibita officia grato animo excipimus: omnia illi viciſſim, quæ Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri erga electos Romanorum Reges, ſeu Imperatores juxta veterem ejuſdem Sedis morem peragere conſueverunt, cumulatè, ac pleniſſimè reddituri; Nullum ſiquidem ab Eo ex conſuetis Pontificiæ largitatis argumentis, quæ illius Majoribus delata fuerunt, deſiderari patiemur; Deumque Optimum Maximum intereà rogabimus, ut cœleſti ſua ope

diri-

dirigat ſemper optimi Principis greſſus in viam ſalutis, & pacis, illiuſque animum ad ea perficienda, quæ læta Eccleſiæ, læta Reipublicæ, læta itidem Apoſtolicæ Sedi eſſe poſſint, aſſiduè magis inflammet.

Abſoluto Sanctitatis Suæ reſponſo omnes ſederunt, & paulò poſt dimiſſo Oratore DD. Cardinales cum Sanctitate Sua diutius remanſerunt, ut ita omnia juxta conſuetos mores exactè peragerentur.

De præmiſſis omnibus duo Protonotarii Apoſtolici, videlicet R. P. D. Bancherius, ac R. P. D. Collicola rogati fuerunt: R. P. D. Alexandro Bonaventura Archiepiſcopo Nazianzeno, ac R. P. D. Proſpero Marefuſco Epiſcopo Cyrenen. teſtibus.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 16. Aprilis 1714.

ARGUMENTUM.

Declarat Bononiæ de Latere Legatum D. Cardinalem Cuſanum.

VENERABILES FRATRES.

Lv.

Amdiù lapſum eſt tempus, ad quod Legationem Bononienſem demandavimus Dilecto Filio Noſtro Laurentio S. R. E. Cardinali Caſono, qui eam pari cum juſtitiæ, ac prudentiæ laude, imò etiam, ut accepimus, non ſinè aliquo valetudinis ſuæ incommodo ſuſtinuit. Eidem propterea à Legationi præficere modò intendimus Dilectum pariter Filium Noſtrum Auguſtinum ejuſdem S. R. E. Cardinalem Cuſanum, de cujus fide, probatâque in præcipuis Apoſtolicæ Sedis muneribus gerendis integritate plurimum in Domino confidimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus, & deputamus noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum Bononiæ præfatum Cardinalem Cuſanum ad triennium cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 7. Majî 1714.

ARGUMENTUM.

Antonii Ulrici Ducis Brunſvvicenſis, & Luneburgenſis obitum cum honorifica illius virtutum commemoratione DD. Cardinalibus nunciat, ejuſque animæ refrigerium publicis Exequiis in Eccleſia Collegii de Propaganda Fide coram illis Cardinalibus, qui ejuſdem Propagandæ Fidei negotiis præpoſiti ſunt, celebrandis comparari mandat.

VENERABILES FRATRES.

Quatuor ferè lapſi ſunt anni, ex quo maximâ cum animi noſtri lætitiâ Vobis ex hoc loco ſignificavimus Antonium Ulricum Ducem Brunſvvicenſem, & Luneburgenſem, inclytæ ſuæ ſtirpis Principem, & Caput, nullo præcipitis conſilii incitamento commotum: nullâ ingenii inconſtantiâ impulſum: nullâ temporalis ſui commodi illecebrâ allectum: poſt diuturnam complurium annorum deliberationem, poſt præviſum ingruentium ſibi diſcriminum, ac moleſtiarum graviſſimum cumulum, ſolâ agnitæ veritatis ratione excitatum, ſolâ ſupernæ gratiæ illuſtratione LVI.

perfuſum, ſolo demùm animæ ſuæ ſalutis deſiderio incenſum, Lutheranæ hæreſeos, in qua natus, educatuſque fuerat, erroribus palàm ejuratis, Catholicam Fidem amplexum fuiſſe. Acerbum hodie, ac verè luctuoſum ejuſdem Principis obitum, quem Nos noviſſimè non ſinè magno Paterni cordis noſtri mœrore audire potuimus, Vobis ſimiliter denunciamus; non dubitantes, quin animos æquè veſtros pari triſtitia afficiat gravis hæc Orthodoxæ Religionis jactura, quam in amiſſo Principe Sanctæ huic Sedi mirum in modum addicto ſummoperè dolemus. Plurimum ſanè lenire poſſunt dolorem noſtrum non minùs eximiæ defuncti Principis virtutes, quàm mors ab eo piiſſimè, & conſtanti atque hilari animo obita; poſtquam ſcilicet ille zelo Domus Dei mirificè incenſus, primum quidem magnificam Eccleſiam in Brunſvvicenſi Civitate ad uſum Catholicorum extrui, atque exornari curaverat: deindè verò paucis ante obitum diebus Natorum, Statuumque ſuorum obtento conſenſu, liberum, publicum, atque perpetuum Orthodoxæ Religionis exercitium ſuis in ditionibus ſtabiliverat; quo ſanè magno confecto, abſolutoque opere non aliud potiùs exoptare mira animi ſui exultatione profeſſus fuit optimus ſenex, quàm ut numerus dierum ſuorum finiretur brevi, quemadmodum, annuente Domino ejus votis, re ipſa contigit. Hæc profectò ſunt, quæ non minùs lacrymas noſtras abſtergere, quàm Nos magnam in ſpem adducere poſſunt, ut quemadmodum Antonii Ulrici memoria in benedictione eſt, ac diù erit in terris, ita ipſe debito nunc virtutibus ſuis præmio potiatur in Cœlis. Sed adhuc pro anima Principis de Catholica Eccleſia, & de Apoſtolica Sede multis nominibus meriti noſtras ad Deum preces, atque ſuffragia deeſſe Chriſtianæ charitatis ratio non patitur. Quod ſanè, & privatim hactenus Nos ipſi agere non prætermiſimus, & Vos ſimiliter exequi vehementer optamus; quin imò id ipſum publicis quoque Exequiis in Eccleſia Collegii

de Propaganda Fide coram iis ex Vobis, qui ejuſdem Propagandæ Fidei negotiis præpoſiti ſunt, quamprimum celebrandis præſtari mandavimus. Faxit Deus, ut quod memoratus Princeps anxiis adeò votis, dum viveret, exoptaverat, è ſuperna ſtatione opus perficiat, ut nimirum non modò reliqui omnes clariſſimæ ſuæ Domus Principes, ſed univerſi etiam populi illius ditioni ſubjecti monſtratam ab eo viam feliciter ineant, novaque, ac ſplendida Romanæ Eccleſiæ adjiciant ornamenta.



IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 28. Maji 1714.

ARGUMENTUM.

Ferrariæ de Latere Legatum declarat D. Cardinalem Piazza.

VENERABILES FRATRES.

LVII.

Errarienſem Legationem, quam Dilectus Filius Noſter Thomas S. R. E. Cardinalis Ruffus longè ultra triennium, ad quod ei illa à Nobis demandata fuerat, ſedulò, ac fideliter adminiſtravit, committere nunc intendimus Dilecto pariter Filio Noſtro ejuſdem S. R. E. Cardinali Piazza; de cujus fide, prudentiâ, probatâque diù in tot, tantiſque, & ſanè graviſſimis laudabiliter ab eo geſtis muneribus, integritate plurimum in Domino confidimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra declaramus, & deputamus noſtrum, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legatum Ferrariæ præfatum Cardinalem Piazza ad triennium cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 20. Auguſti 1714.

ARGUMENTUM.

Suum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum deputat D. Cardinalem Gozzadinum ad Principiſſam Parmenſem Philippi V. Hiſpaniarum Regis Catholici Sponſam, brevi ex Italiâ diſceſſuram.

VENERABILES FRATRES.

Mplectimur libenter novam Nobis oblatam opportunitatem palàm, & in omnium oculis declarandi paternam illam, & adhuc conſtantem charitatem, qua Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum in Domino proſequimur. Plurimis idcircò Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplis, quæ etiam Nos ipſi, ſicuti noſtis, non ſemel ſecuti fuimus, adducti ad Regiam illius Sponſam Principiſſam Parmenſem propediem, ut accepimus, ex Italiâ diſceſſuram noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum deputare intendimus Dilectum Filium Noſtrum Ulyſſem Joſephum S. R. E. Cardinalem Gozzadinum, qui novæ Reginæ in LVIII.

di-

ditione huic Sanctæ Sedi etiam quoad temporalia ſubjecta, in qua nata, & educata fuit, adhuc commoranti Apoſtolicam noſtram Benedictionem deferat, Regale Connubium gratuletur, nec non fauſtum, ac proſperum in Hiſpaniam iter, aliaque omnia, cœleſti accedente Benedictione, felicia ex intimo noſtri cordis affectu apprecetur ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Chriſtianæque Reipublicæ tranquillitatem, & pacem.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ ſupradictum Ulyſſem Joſephum Cardinalem Gozzadinum Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatum deputamus, & declaramus ad præmiſſa peragenda cum facultatibus, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 7. Decembris 1714.

ARGUMENTUM.

Gravibus malorum procellis, quibus ab ipſo ſuſcepti Pontificatus initio agitatus ſemper fuerat, noviſque in dies acerbioribus vulneribus, quæ Eccleſiaſticæ libertati, Pontificiæ authoritati, imò etiam Orthodoxæ Religioni infercbantur, commemoratis, conſilium aperit ſuum impavido, ſtrenuoque animo exequendi ea, quæ Paſtoralis officii ratio poſtulabat, eumque in ſcopum DD. Cardinales vehementer hortatur, ut occaſione Indulgentiæ à Sanctitate Suâ in forma Jubilei nuperrimè conceſſæ per accuratas eorum preces divinam illi opem tam neceſſario tempore conciliare ſtudeant.

VENERABILES FRATRES.

Lix. Uatuordecim jam lapſi ſunt anni, ex quo, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, placuit divinæ bonitati, cui proprium eſt infirma mundi eligere, humilitatem noſtram ad Supremi Apoſtolatus faſtigium evocare. Quantis intereà, & quàm gravibus malorum procellis agitati ſemper fuerimus, optimè noſtis, quippe qui in partem ſolicitudinis noſtræ vocati, magnam etiam calamitatum noſtrarum partem ſuſtinuiſtis. Lætiora in poſterum ſpe-

rare nos juberent vota illa, quæ Nobis anniverſario aſſumptionis noſtræ die nuperrimè detuliſtis, & craſtina die decimum quintum Pontificatus Noſtri annum, benedicente Domino, ineuntibus pro conſueto humanitatis veſtræ more iterum deferetis. Dolemus tamen ex animo nedum verè nullam effulgere adhuc ſpem temporis ſerenioris: Sed quod maximè deplorandum eſt, nova ſemper in dies, & ſemper acerbiora à filiis perditionis Eccleſiaſticæ libertati, Pontificiæ authoritati, imò etiam ipſimet Orthodoxæ Religioni vulnera infligi; adeout ſi res eò, quo ire cœperunt, gradu procederent, & poſſent divina promiſſa deficere, brevi profectò fieret, ut manante ab iis, in quibus hæc accidunt, ad alias Catholici Orbis Provincias exempli conſenſione, nullam propemodùm ubique gentium Eccleſiæ reverentiam, nullum Nobis, & huic Sanctæ Sedi priſtinæ dignitatis veſtigium, nullam denique fidelibus in doctrinâ fidei certitudinem relinqui contingeret. Verùm, Cœlo etiam, & Terra tranſeuntibus, divinæ promiſſionis verba non tranſibunt. Reſpiciet Dominus de Cœlo, viſitabit, perficiet, & cuſtodiet vineam, quam plantavit: erit ipſe nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi: Aderit Nobis, aderit Eccleſiæ, aderit cauſæ ſuæ, ſi Nos officio noſtro non defuerimus. Decretum proindè Nobis, fixumque eſt ad tot, tantaſque Eccleſiæ, Apoſtolicæ Sedi, ac ipſi Religioni illatas injurias vindicandas ea omnia, adſpirante Superni Factoris auxilio, quamprimum exequi, quæ injuncti Nobis divinitus Apoſtolici muneris ratio poſtulat, quæque enixis tam noſtris, quàm aliorum precibus imploratum cœleſtis gratiæ lumen oſtenderit. Idcircò memoria recolentes tunc maximè Apoſtolorum Principi, cujus locum immeriti tenemus, cœleſte præſidium adfuiſſe, cùm oratio fiebat ab Eccleſia ſinè intermiſſione ad Deum pro eo, ad communes hujus almæ Urbis Chriſtifidelium preces confugere decrevimus; atque ut hoc ipſum promptiùs peragatur, Eccle-

ſiæ

ſiæ theſauros, quorum diſpenſationem Nobis credidit Altiſſimus, Apoſtolica liberalitate protulimus: iiſdem ſcilicet fidelibus certa pietatis opera adimplentibus nonnullas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis relaxantes: ac inſuper plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam in forma Jubilei illis concedentes, qui intrà ſpatium duarum ſequentium hebdomadarum jejunaverint quartâ, & ſextâ feriâ, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujuſmodi, nec non Baſilicas Sancti Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris, vel earum aliquam viſitaverint, & ibidem oraverint, ac peccata ſua confeſſi Sacram Communionem ſumpſerint, pauperibuſque eleemoſynam, prout ſua cuilibet pietas ſuaſerit, erogaverint. Agite igitur, VENERABILES FRATRES, quorum præſtanti operâ, ac conſiliis, & juvari debemus, & utimur libentiſſimè: opportuno hoc, atque acceptabili tempore Dominici Adventus Deum Optimum Maximum, qui eſt multæ miſericordiæ omnibus invocantibus eum, jugiter obſecrate, ne viribus deficiamus, ſed veniat in Nos Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Conſilii, & fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis, quo timidæ cogitationes, & incertæ providentiæ noſtræ roborentur, ut ſtrenuè Vobiſcum ſtantes in prælio, atque opponentes murum pro domo Iſrael, fortiter illius cauſam tueri poſſimus, à quo Nos per Beatum Petrum, ejuſque ſucceſſores poteſtatem accepimus in terris maximam, quæ in indigno hærede non deficit.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 21. Januarii 1715.

ARGUMENTUM.

Nuperæ Pacificationis inter Imperatorem, & Imperii Principes ex una, ac Regem Chriſtianiſſimum ex altera partibus in Oppido Badenſi ſtabilitæ Capitibus, Orthodoxæ Fidei, Eccleſiæ, Sanctæque Sedi tum favorabilibus, tum etiam præjudicialibus explicatis: recitari mandat Proteſtationem ibidem à R. P. D. Paſſioneo juſſu Sanctitatis Suæ factam; deinde differit de ingenti bellico apparatu, quem Turcarum Tyrannus adornabat, & DD. Cardinales hortatur, ut Deum obſecrent, quatenus fructuoſas eſſe velit Pontificias monitiones, & preces, quibus Chriſtianos Principes ad fortiter occurrendum periculo rei Chriſtianæ à Barbaris impendenti vehementer pro Paſtoralis officii debito incitaverat.

VENERABILES FRATRES.

Lx.

Bi primum ſuperioribus menſibus inaudivimus in Conventu Badenſi Pacem tandem inter Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Carolum Romanorum Regem in Imperatorem Electum, ac Germanici Imperii Principes ex una, nec non Chariſſimum itidem in Chriſto Filium Noſtrum Ludovicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum ex altera partibus fuiſſe firmatam, ereximus illicò, priuſquam ſcilicet ejuſdem Pacis articuli ad Nos

afferrentur, oculos, manuſque in Cœlum ſupplices, tum uberes Divinæ bonitati gratias agentes, quòd votis noſtris ab initio belli, hoc eſt, ab ipſo Pontificatus noſtri primordio ſuſceptis, magna jam ex parte annuerit: tum miſericordiarum Patrem enixè, ac humiliter obſecrantes, ut opus inchoatum perficere, & gaudium noſtrum implere vellet, Pacemque ipſam tam initam, quàm ineundam cœleſti ſua illi admotâ manu ſtabilem, perpetuamque eſſe dignaretur. Fraternitates tamen Veſtras hac de re alloqui hucuſque diſtulimus, expedire rati, ut priùs nedum ſancitæ Pacis capita, ambarumque Partium ratihabitionis documenta oculis intueremur, verùm etiam ſedulò exploraremus, quis tandem exitus contigiſſet multiplicibus illis, indefeſſis, diuturniſque curis à Nobis adhibitis, ut ejuſmodi Pax abſque ullo Eccleſiæ, Sanctæ hujus Sedis, atque Orthodoxæ Religionis detrimento perficeretur; ac ubi peccatis noſtris facientibus, res ex animi noſtri ſententiâ uſquequaque non proceſſiſſent, cognoſceremus ſaltem, an, qua par erat, ſedulitate, ac fide executioni demandata fuiſſent ea omnia, quæ ut Eccleſiæ, Apoſtolicæ Sedis, & Catholicæ Religionis indemnitati conſultum eſſet, illarumque Jura undequaque ſalva, illæſa, ac inviolata conſervarentur, de quamplurium ex Fraternitatibus Veſtris conſilio commiſimus Dilecto Filio Dominico Paſſioneo in utraque Signatura noſtra Referendario, ac Prælato Domeſtico noſtro, quem videlicet hunc in finem, uti noſtrum, ac ejuſdem Sedis verum, & legitimum Procuratorem, Actorem, & negotiorum geſtorem, tametſi abſque ulla extrinſeci tituli, ſeu Miniſterii ſpecie, ad memoratum Badenſem Conventum ante ſeptem menſes allegavimus; licet enim Apoſtolicæ ſervitutis oneri ferendo Nos omninò impares, & ſervum inutilem eſſe probè intelligamus, ac jugiter ingemiſcamus; in hoc tamen Pacis negotio ita promovendo, ut abſque ulla Orthodoxæ Fidei, Apoſtolicæ Sedis, Sanctæ Romanæ, aliarum-

que

que Eccleſiarum quarumcumque injuria Pax ipſa coaleſceret, nulla in re videmur Nobis à conſcientia redargui Paſtorali officio noſtro defuiſſe. Nunc verò, cum ad Nos allata jam fuerint memoratæ Pacis capita, de quibus Badæ conventum fuit, ab utriſque partis Legatis, ſeu Plenipotentiariis, ut vocant, die 7. Septembris anni proximè præteriti ſubſignata, unà cum ratihabitionibus tam Imperatoris Electi, quàm Regis Chriſtianiſſimi, in eodem Badenſi Oppido ab utriuſque Legationis Secretariis die 28. mox elapſi menſis Octobris invicem permutatis; Cumque inſuper ea omnia recognoverimus, quæ à prædicto Dominico Paſſioneo pari ſolertiâ, ac fide in executionem mandatorum noſtrorum geſta fuerunt: ac tandem ab utraque Aula, noſtriſque Nunciis utrobique reſidentibus certiores abundè facti fuerimus de reliquis omnibus, quæ ſcire Nobis neceſſe erat, ut ſublatis, quæ fortè occurrere poterant, dubitationibus, totius rei ſtatum undique perſpectum, exploratumque haberemus: non ampliùs cunctandum Nobis eſſe arbitramur, quin Vobis rem totam ex hoc loco communicemus. Primùm itaque negare non poſſumus magnum Nos ſuſcepiſſe ſolatium ex iis, quæ in tertio potiſſimùm, ac decimo ſancitæ Pacis capitibus, quoad Riſvvicenſis Pacificationis articulos tam in ſacris, quàm in prophanis inviolabiliter ſervandos ita firmantur, ut nullatenùs jam ambigendum ſit per illa ad Catholicæ Religionis favorem ſatis perſpicuè quartum ejuſdem Riſvvicenſis Pacificationis articulum, pro quo ſcilicet diù, multumque laboravimus, fortiter obſiſtentes multiplicibus, ac validiſſimis Acatholicorum conatibus, qui illum prorſus abolitum, ac revocatum cupiebant, non modò integrum, ſartum tectum, ac omninò inviolatum conſervari: verùm etiam, ſicubi idem articulus executioni minimè mandatus fuiſſet, vel aliquid poſt executionem contra illius formam immutari contigiſſet, omnia in eum ſtatum, qui per tractatum Riſvvicenſem præſcriptus fuit,

re-

reponenda eſſe : quibus ſanè verbis ſanctionem, ſeu declarationem illam, quam Receſſum Religionis pro inferiori Palatinatu, eique annexis ditionibus nuncuparunt, anno 1705. nomine Dilecti Filii Nobilis Viri Joannis Vvilhelmi Comitis Palatini Rheni S. R. I. Principis Electoris editam, ac ſubindè à Nobis abrogatam, & improbatam, ſimiliter abrogari, & improbari non obſcurè demonſtratur. Probè quidem novimus non idcircò Acatholicos acquieviſſe, nec conquieturos deinceps fore; neque enim ignoramus illos nunc maximè nihil intentatum relinquere, neque in poſterum relicturos eſſe tam in Imperialibus Comitiis, quàm alibi, ut nefarii voti compotes efficiantur. Contra tamen Nos pariter pravis eorum conſiliis, & machinationibus omni ope adverſari non prætermiſimus, ac, infirmitatem noſtram confortante Domino, cujus cauſâ agitur, numquam prætermittemus; quinimò cùm eorum præviſa ſtudia antevertere curaverimus, noviſſimè denuò interpoſitis apud Aulas Viennenſem, ac Pariſienſem enixis, accuratiſſimiſque officiis, ab utrâque reſponſum accepimus quoſcumque Acatholicorum hac in re conatus irritos, & inanes futuros eſſe, ac quemadmodum eorum poſtulata Badæ repulſa fuerunt, ita ubicumque illa inſtaurari contingat, repulſum iri, adeôque pro certo habendum eſſe, quòd ſolemnes adeò tractationes, ut ſunt Badenſes, initæ, atque confirmatæ ex parte Imperatoris Electi vigore facultatum non à Catholicis tantùm, ſed etiam ab Acatholicis Imperii Principibus ſibi ampliſſimè attributarum, nullo umquam tempore immutari, multòque minus infringi poſſint. Plurimùm inſuper lætati ſumus legentes in XV. ejuſdem Badenſis Pacificationis articulo conventum eſſe, quemadmodum vehementer exoptabamus, de plenaria, ac integra duorum Fratrum S. R. I. Principum Electorum, nimirum Venerabilis Fratris Joſephi Clementis Archiepiſcopi Colonienſis, & Dilecti Filii Nobilis Viri Maximiliani Emma-

nue-

nuelis utriuſque Bavariæ Ducis priſtinum in ſtatum reſtitutione, cujus ſanè plenariæ, ac integræ reſtitutionis vigore dubitandum non eſt, quin aboleatur, revocetur, ac prorſus è medio tollatur quicquid occaſione ræteriti belli, non ſinè gravi tam Eccleſiaſticæ libertatis, quàm Pontificiæ Authoritatis offenſa, adverſùs utramque fieri contigit, adeout *omnia*, (ut ejuſdem XV. Articuli verbis utamur) *æterna oblivione extincta remaneant*. Illud prætereà lætitiam noſtram auxit, quod in memorato XV. articulo inter cetera ad ejuſdem Archiepiſcopi Colonienſis favorem ſtabilita, quod ad Hildeſienſem Eccleſiam attinet, cui ille dudum ab hac Sancta Sede præfectus fuit, in hæc verba conventum fuerit. *Capiet etiam ſpeciatim poſſeſſionem Epiſcopatus Hildeſienſis cum omnibus prærogativis, juribus, & bonis ad dictum Epiſcopatum, & Eccleſiam ſpectantibus, uti ea ante præteritum bellum Epiſcopi ſui Prædeceſſores, & Eccleſia poſſederunt, aut poſſidere debuerunt, itaut nulla litis, aut prætenſionis ratio à quocumque mota, ſeu movenda, integram ejus reſtitutionem impedire poſſit*. Quibus verbis non tantùm arcetur, ac prorſus adimitur timor olim conceptus, quòd Badenſibus tractationibus inſeri, & comprobari poſſent iniquæ ille pactiones, ad quas Dilecti Filii Capitulum, & Canonici Eccleſiæ Hildeſienſis ante tres annos cum Acatholico Principe, nonniſi vi, ac metu cogentibus, devenerunt, quæque à Nobis, utpotè non minùs Catholicæ Fidei, Divino cultui, ac animarum ſaluti, quàm ipſius Hildeſienſis Eccleſiæ, illiuſque Epiſcopi, & Capituli, ac illorum Menſarum Epiſcopalis, & Capitularis juribus ſommoperè adverſantes, ſolemniter damnatæ, caſſatæ, ac reprobatæ fuerunt, ſed quævis inſuper illarum executio diſertè, ac luculenter excluditur; cum earumdem iniquarum pactionum obſervatio congrucre nequaquam poſſit cum Articulo illo, in quo apertè firmatur Archiepiſcopum Colonienſem frui, ac potiri debe-

re

re Hildeſienſi Epiſcopatu: *cum omnibus prærogativis, juribus, & bonis ad dictum Epiſcopatum, & Eccleſiam ſpectantibus, utì ea ante præteritum bellum Epiſcopi ſui Prædeceſſores, & Eccleſia poſſederunt*. Ad hæc non leve Nobis ſolatium attulit, quod Articulo XXVII. expreſsè cautum vidimus, ut nimirùm in territoriis, Civitatibus, & locis Belgii, quæ à Rege Chriſtianiſſimo Imperatori Electo ceduntur, omnia, quæ Religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam concernunt, in ſtatu, quo ante bellum fuerant, immutata cuſtodiantur: Magiſtratus etiam nonniſi Catholici eſſe poſſint, & ut antea fuere, permaneant: Epiſcopi in primis, & Capitula, Monaſteria, bona Ordinis Melitenſis, & generaliter univerſus Clerus conſerventur in omnibus Eccleſiis, libertatibus, immunitatibus, juribus, prærogativis, & honoribus, quæ ſub præcedentibus Regibus Romano-Catholicis habuere, & ſi quavis ratione deſtituti fuerint, in ea reſtituantur. Quoniam demum, nondum forſan oblito Domino peccata populi ſui, publica univerſalis tranquillitas, quam ardentiſſimè cupiebamus, per memoratam Badenſem Pacem conciliari non potuit, gaviſi nihilominus ſumus quietem ſaltem, & neutralitatem Italiæ, quæ propiùs Nos tangit, in Articulo XXX. ejuſdem Pacis ita firmari, ac ſtabiliri, ut ſub quocumque titulo, vel obtentu perturbari de cetero numquam poſſit; confidentes intereà fore ut, divina ope ſuffragante, novis tractationibus aditus quamprimum aperiri poſſit, unde operis complementum tandem exoriatur: His adducti rationibus præmiſſa Badenſis Pacis capita cum voluptate perlegimus. Ex nonnullis tamen aliis ejuſdem Pacis capitibus non pauca, nec levia Nobis ſimul allata fuerunt argumenta doloris. Animadvertimus ſiquidem in primis Pacem Vveſtphalicam dudum ab Apoſtolica Sede in pluribus ſuis Articulis non ſemel damnatam, ac reprobatam, pro ejuſdem Pacificationis Badenſis normâ, baſi, ac fundamento inter ce-

tera conſtitutam fuiſſe; multa inſuper ex nuperis Ultrajectenſibus, ac Radſtadienſibus tractationibus deſumpta eidem Badenſi Pacificationi adjecta fuiſſe, quæ eamdem planè Apoſtolici Judicii cenſuram promerentur. Hæc inter præcipuum ſibi vindicant locum Dignitatis Electoralis recognitio in Hannoverano Duce dudum à Nobis pluries, ut benè noſtis, ac palàm improbata: Regius titulus Marchioni Brandeburgenſi delatus contra noſtram itidem ſatis notam, ac publicam interdictionem: ceſſio inſuper eidem, aliiſque etiam Acatholicis Principibus facta variarum Ditionum Catholicarum cum evidenti periculo ſubverſionis illarum animarum, ac omnimodi Orthodoxæ Religionis in illis partibus excidii: Præterea manifeſta violatio libertatis, ac Immunitatis Eccleſiaſticæ propter conditionem reſtitutioni bonorum Eccleſiaſticorum tempore præteriti belli occupatorum adjectam, quæ hiſce verbis in Articulo XXV. explicata legitur: *Ita tamen ut nihil ratione fructuum, ſeu proventuum perceptorum, & tempore præteriti belli uſque ad diem publicationis tractatus Radſtadienſis ceſſorum petere poſſint*. Grave etiam præjudicium, quod etiam in temporalibus Sedi Apoſtolicæ irrogari attentatum eſt circa directum, ac ſupremum Dominium, quod ei in Regnum utriuſque Siciliæ ultra, & citra Pharum manifeſtè competit, non tantum mentione de illo citra Pharum, hoc eſt de Neapolitano Regno in Badenſibus, & Radſtadienſibus tractationibus habitâ abſque ulla Pontificii aſſenſus præſervatione, ſed multò etiam magis liberâ illâ, abſolutaque ratione, qua de eodem Regno Siciliæ ultra Pharum in Ultrajectenſibus tractationibus conſtitutum fuit, perindè ac ſi nullum in eo jus ad Nos, & Sanctam Sedem pertineret. Præcipua hæc ſunt Capita, quæ gravem Nobis, ac moleſtam nuperam Pacificationem effecerunt. Negare tamen non poſſumus, quin animi noſtri mœror haud parum lenitus fuerit ex declarationibus, atque proteſtationi-

bus

bus à præfato Dominico Paſſioneo juſſu noſtro factis, & juxta praxim ab Apoſtolicis Adminiſtris in ejuſmodi caſibus, ac potiſſimum Vveſtphalicæ, & Noviomagenſis Pacificationum occaſione ſervatam diligenter exaratis, quemadmodum Vos pariter ex illarum authentico exemplo ad Nos tranſmiſſo per Secretarium Brevium noſtrorum Secretorum mox legendo, uberiùs percipietis.

Hîc ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Oliverius Secretarius Brevium Secretorum, legitque Breve Sanctiſſimi die 26. Junii 1714. datum, in quo continentur facultates R. P. D. Dominico Paſſioneo in utraque Signatura Sanctitatis Suæ Referendario, ejuſque Prælato Domeſtico attributæ; ac ſubindè declarationem, ſeu proteſtationem ab eodem R. P. D. Paſſioneo, primò quidem Badæ in Ergovia factam die 10. Septembris 1714., deindè verò renovatam in Senatu Reipublicæ Lucernenſis die 20. ejuſdem Menſis; quibus perlectis Sanctitas Sua ita Orationem proſecuta fuit.

AUdiſtis VENERABILES FRATRES, quomodò Ablegatus noſter, cum in Badenſi Conventu tractationes de Pace haberi inveniſſet, inſueto prorſus more, hoc eſt nemine ibidem Mediatoris partes agente, qui contradicentium proteſtationes reciperet, ſecutus fuerit illorum exemplum, qui in noviſſimo Ultrajectenſi Conventu non abſimili illic ſubortâ difficultate adversùs ea, quæ inibi conventa fuerant, ſive illorum aliqua proteſtari voluerunt; quinimò non modò ejuſmodi exemplum ſecutus fuerit, ſed verè pleniùs, uberiùs, atque ſolemniùs demandatam ſibi provinciam impleverit, ſuamque declarationem, ac proteſtationem non ſolùm, prout illi fecerunt, coram Magiſtratu Loci emiſerit, verùm & eam Legatis, ſeu Plenipotentiariis tam Cæſareis, quàm Gallicis, aliiſque pluribus aliorum Principum Miniſtris notam fecerit, ac demùm in pleno, ac publico Reipublicæ Lucernenſis Senatu apertè renovaverit.

Audiſtis itidem quomodò præfatus Ablegatus noſter ejuſmodi ſuam declarationem, & proteſtationem, juxta mentem noſtram ſibi notam, etiam ad ea omnia, quæ Catholicæ Religioni, Sanctæ huic Apoſtolicæ Sedi, Eccleſiis, & Eccleſiaſticis Juribus quibuſcumque præjudicialia in Radſtadienſibus, ac multò magis in Ultrajectenſibus tractationibus conventa fuerunt, prudenti non minùs, quàm neceſſario conſilio extendere non prætermiſerit. Quæ ſanè, tametſi generali proteſtatione ea potiſſimùm, quæ legibus omnibus violatis, adversùs Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Jacobum Magnæ Britanniæ Regem, cum maxima non ſolùm ipſius Regis, ſed etiam Catholicæ Religionis injuriâ, in eiſdem Ultrajectenſibus tractationibus quovis modò acta fuerunt, omninò comprehenſa eſſe, & comprehendi ab initio intelleximus, ac nunc ita intellexiſſe, & intelligere Vobis ſignificamus; licèt mentem hanc noſtram in Badenſi publica proteſtatione clariùs, ac diſertiùs explicari conſultò prohibuerimus: ne graviora ſcilicet Acatholicorum odia in optimum, ac piiſſimum Regem de Eccleſia, de hac Sancta Sede, ac de Orthodoxa Fide meritiſſimum concitaremus: & ſanè abſque ulla neceſſitate; cùm ea, quæ in ipſius perniciem geri contigit, utpote per ſe manifeſtè nulla, & injuſta, nequeant clariſſima illius jura ullatenùs imminuere, nec ullâ ad id indigeant noſtrâ, aliorumve quorumlibet proteſtatione. Audiſtis demùm quomodò idem Adminiſter noſter arreptâ occaſione differendi de infauſta Pacificatione Aravienſi non ita pridem apud Helvetios inita, eam non minùs nullam, & invalidam, quàm injuſtam, & iniquam meritò pronunciaverit, ut liquidò nimirùm appareat illam à Nobis, & ab hac Sancta Sede ſemper damnatam fuiſſe, ac reprobatam. Quoniam verò parùm prodeſſet verbis dumtaxat, hoc eſt ſolo proteſtationum medio, iis contradicere, quæ in Eccleſiæ, Sedis Apoſtolicæ, & Religionis detrimentum geſta

ſunt, ac geruntur, niſi ſimul etiam omni ope, ac ſtudio eniteremur, ut ea factis, rebuſque ipſis corrigerentur, ac opportunè ſarcirentur: perſuaſum Vobis eſſe volumus, VENERABILES FRATRES, Nos hunc in finem non omiſiſſe, non omittere, nec omiſſuros eſſe eas omnes obire partes, quas Miniſterii noſtri ratio à Nobis poſtulat; nec profectò ſpe deſtituimur fructum aliquem ex laboribus noſtris quamprimùm percipiendi, tametſi ea de re palàm differere non adhuc Nobis liceat. Enixis intereà, accuratiſque precibus Deum Optimum Maximum rogare non prætermittite, ut conatus noſtros cœleſti ſua ope juvare dignetur, ac in primis Divinam ejus Bonitatem in contritione cordis obſecrate, quatenùs voci noſtræ dare velit vocem virtutis, ac fructuoſas potiſſimùm eſſe faciat monitiones, cohortationes, imò etiam preces illas, quibus vehementiori paterni noſtri cordis affectu Chriſtianos Principes incitavimus, ac jugiter incitamus, ut quando jam è diuturnè nimiùm, atrocique inter ipſos bello, non ſine præcipuo Divinæ Miſericordiæ beneficio, exempti reperiuntur eo maximè tempore, quo nefarius Turcarum Tyrannus, ingenti apparatu terra, marique ſuſcepto, in Chriſtianas ditiones irrumpere molitur, conſociatis ſtudiis, viribuſque obviam eant periculo, quod Chriſtianæ Reipublicæ intentant Barbari: opponant fortiter murum pro Domo Iſrael: ſtudeant ipſorum Barbarorum cruore detergere, ac prorsùs delere maculas illas, quas Chriſtianorum armis Chriſtianus ſanguis aſperſit: translatâque in Infidelium Terras eorumdem Armorum procellâ, non alia in poſterùm, quàm bella Domini prælientur.

IN

Cadet Superbus, et Corruet Iracundus

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 20. Februarii 1715.

ARGUMENTUM.

Cauſas exponit, quibus ad extinguendum, ac penitùs abolendum prætenſæ Apoſtolicæ in Regno Siciliæ Legationis, & Monarchiæ nuncupatæ Tribunal adductus fuerat. Mox ſpecialem Conſtitutionem hac ipſa die eâ de re promulgatam, nec non Breve modum præſcribens, quo Cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in dicto Regno deinceps judicari debeant, eadem pariter die editum recitari mandat.

VENERABILES FRATRES.

LXI.

Novimus omnes, firmâque fide credimus, & profitemur Redemptorem, ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum illi uni Apoſtolorum Principi, cui ante Sacratiſſimam ſuam Paſſionem dixerat: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & Tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris ſuper Terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cœlis*: Poſt ſuam à mortuis reſurrectionem pro ſupremi Apoſtolatus complemento, no-

novâque inſtituti jam in eo viſibilis Eccleſiæ Capitis confirmatione, ſimiliter dixiſſe: *Paſce Agnos meos: paſce oves meas.*

Hanc porrò ſingularem, atque præcipuam Sanctæ hujus Sedis prærogativam Beato Petro conceſſam, ac per illum, ejuſque Succeſſores ad Nos, tametſi prorſus immerentes, à Domino tranſmiſſam, ſi non verbis, re ipsâ certè in controverſiam vocari, quin etiam apertè jam Nobis impugnari quoad Regnum Siciliæ ab illius Tribunalis Miniſtris, quod inibi Monarchiam appellant, nemo eſt, qui ignoret; quemadmodum nemo planè eſt, cui intolerandi exceſſus ab eodem Tribunali, noviſſimis præſertim hiſce annis, admiſſi non innotuerint. Nemini etiam propterea mirum videbitur, quod Nos, poſtquam longâ nimiùm patientiâ, tot, tantaſque Eccleſiaſticæ libertati, ac Pontificiæ authoritati illatas injurias pertulimus: poſtquam itidem diuturniorem longanimitatem noſtram nihil in poſterum profuturam perſpicuè cognovimus; quin potius ex eâ multiplicanda Chriſtifidelium ſcandala, conſcientiam noſtram graviùs onerandam, majoribuſque in dies periculis animarum ſalutem objiciendam fore perſpeximus; Divino primùm enixis tum publicis, tum privatis precibus, implorato præſidio: multorum inſuper in Sacrâ Theologia Magiſtrorum, & in Decretis Doctorum non minùs pietate, quàm doctrinâ præſtantium, auditis ſententiis, maturâque deſuper cum pluribus ex Fraternitatibus Veſtris deliberatione præhabitâ, de unanimi illorum conſilio, & aſſenſu, deploratæ, ac reprobatæ diu abominationis radicem Apoſtolicâ tandem ſecuri præcidere, & Babylonicam Turrim funditùs evertere decreverimus; abolendo ſcilicet, ſupprimendo, atque extinguendo præfatam Monarchiam Siculam, ejuſque Tribunal per ſpecialem noſtram perpetuò valituram, & hac ipſa die promulgandam Conſtitutionem, quæ à Secretario Brevium noſtrorum Secretorum mox perlegetur.

Hic

Hìc ingreſſus fuit Conſiſtorium R.P.D. Oliverius Secretarius Brevium Secretorum, legitque Conſtitutionem à Sanctiſſimo hac ipſa die editam ſuper extinctione, & abolitione prætenſæ Apoſtolicæ in Regno Siciliæ Legationis, & Monarchiæ nuncupatæ; ejuſque Tribunalis Judicis, & Officialium quorumcumque, qua perlecta ſua Sanctitas reaſſumpſit orationem in hæc verba.

AUdietis modò quænam iniverimus conſilia, ut Cauſæ Regni Siciliæ ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes, quæ ante hac in abolito Monarchiæ Tribunali, etſi minùs legitimè diſceptari conſueverant, rectè, ac ordine in poſterum intrà idem Regnum cognoſci, & definiri poſſint, ac debeant, donec aliâ ratione à Nobis, & ab hac Sancta Sede Siculorum commodis, ac indemnitati uberioribus gratiis conſulatur. Legantur igitur literæ, quas Nos hac ipsâ die Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nec non Dilectis Filiis tam ſæculari, quàm Regulari Clero, reliquiſque omnibus Chriſtifidelibus ſupradicti Regni Siciliæ hac de re perſcribimus.

Hìc iterum ingreſſus fuit Conſiſtorium præfatus R.P.D. Oliverius, legitque Breve Sanctitatis Suæ ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos, nec non utrumque Clerum tam ſæcularem, quàm Regularem, reliquoſque omnes Chriſtifideles Regni Siciliæ, quibus præſcribitur modus, quo cauſæ dicti Regni ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes in poſterum, etiam abolito Monarchiæ Siculæ Tribunali, judicari poſſint, ac debeant in eodem Regno, donec aliâ ratione à Sanctitate Sua, & Sede Apoſtolica indemnitati, & commodis Nationis Siculæ pleniùs, ac uberiùs conſulatur; quo perlecto Brevi Sua Sanctitas ita orationem abſolvit.

Hæc

HÆc habuimus, VENERABILES FRATRES, quæ Vobis hodie ſignificaremus, ut ea, quæ graviſſima hac in re ſuſcepimus, conſilia, ardua quidem, ſed neceſſaria, Vobis, ut par eſt, innoteſcant: Et, cùm nihil profectò in illis quæſiverimus, præter Dei gloriam, Eccleſiæ honorem, & ſalutem animarum, eodem planè zelo, quo Vos Paſtoralem ſolicitudinem noſtram jugibus laboribus ſublevare non prætermittitis, felicem conſiliorum hujuſmodi eventum veſtris apud Deum votis, & precationibus juvare poſitis, ſicuti perſpecta pietas, & Religio veſtra, ac perpetuum Petræ illius ſtudium, unde exciſi eſtis, abundè Nobis pollicentur.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 6. Maji 1715.

ARGUMENTUM.

Regem Catholicum laudat, quòd reſciſſis Decretis contra D. Cardinalem Judice Inquiſitorem Generalem Hiſpaniarum, ipſumque Inquiſitionis Tribunal latis, eumdem Cardinalem in Hiſpanias honorificè revocaverat. Deinde S. R. E. *Cardinalem creat R. P. D. Fabium Oliverium.*

VENERABILES FRATRES.

LXII. Uemadmodum præteritis menſibus ſatis, ſuperque, vel ipſo rumore publico nunciante, Vobis innotuiſſe non dubitamus tempeſtatem illam, quæ Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici obtento nomine, non tam adversùs Dilectum Filium Noſtrum Franciſcum S. R. E. Cardinalem Judice nuncupatum, generalem in illis partibus Inquiſitorem, non aliâ ſanè de cauſa, niſi quia commiſſum ſibi à Nobis munus ſtrenuè, ac fideliter impleverat, quàm contra ipſum ſacrum Tribunal Inquiſitionis commota fuit: ita planè unicuique Veſtrum exploratum, compertumque eſſe non ambi-

gi-

gimus, quid noviſſimè idem Philippus Rex egerit, ut ea, quæ perperam hac in re pravorum Conſiliariorum operâ geſta fuerant, detectis jam eorum dolis, cumulatè ſarciret. Nihilominus, quia ipſemet Rex ſuis ad Nos datis literis Regia ſua manu conſcriptis, quæ nonniſi ante duos dies redditæ Nobis fuerunt, rem adeò lætam, ac non minus ſibi glorioſam, & Nobis fauſtam, quàm egregio Collegæ veſtro, adeôque etiam Ordini veſtro honorificam ſignificare Nobis voluit: æquum eſſe arbitramur abſque ulla cunctatione ipſaſmet Regias literas ex hoc loco Vobis communicare, ut gaudium noſtrum in Vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

Hic R. P. D. Battellus Secretarius Brevium, quæ ad Principes ſcribuntur, legit literas Sanctiſſimo ſcriptas à Rege Catholico ex Hiſpanico idiomate in Italicum verſas. Quibus lectis Sanctitas Sua ita allocutionem ſuam abſolvit.

RElíquum nunc eſt, VENERABILES FRATRES, ut maximas divinæ Bonitati gratias agamus, quæ dedit Regi cor docile ad faciendas juſtificationes ſuas, eamque humiliter exoremus, ut illius animum magis inflammet ad perficiendum opus, quod incœpit; unde meritas illas laudes, quas ei omnis poſteritas reddet, dum hujus tam præclari facti memoriam recolet, uberiùs Nos ipſi retribuere, ac in dies augere poſſimus: illiuſque illuſtri exemplo addiſcant omnes Catholicum, ac verè ſapientem Principem minimè dedecere ea, quæ minùs rectè geſta ſunt, retractare, quinimò veram illum, ac ſolidam gloriam ſibi parare, malè acta corrigendo, non ea cum Eccleſiæ, Deique offenſione propugnando.

Abſolutis præconiis, & propoſitionibus Eccleſiarum Sua Sanctitas ita rurſus locuta fuit.

VENERABILES FRATRES.

LXIII. FRaternitatum Veſtrarum numero adſcribere intendimus Dilectum Filium Fabium de Oliveriis Protonotarium Apoſtolicum, Secretorum Brevium noſtrorum Secretarium, ac Palatii noſtri Apoſtolici Propræfectum, cujus honeſtos mores, ſedulitatem, patientiam, ac in primis illibatam fidem longo triginta ſex annorum contubernio probavimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ creamus S. R. E. Diaconum Cardinalem Fabium de Oliveriis cum diſpenſationibus, derogationibus, ac clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 29. Maji 1715.

ARGUMENTUM.

Jubileum universale indicit ad implorandam divinam opem contra Turcas. Mox S. R. E. Cardinalem declarat Damianum Hugonem ex Comitibus de Schonborn, aliàs in pectore reservatum. Creat insuper Cardinalem Henricum de Thyard de Bissy Episcopum Meldensem, ac demum tres alios in pectore reservat.

VENERABILES FRATRES.

EX illa die, qua non sinè gravissimo animi nostri dolore accepimus nefarium Turcarum Tyrannum tot, ac tantarum ante aliquot annos, cum immortali Christiani nominis gloria acceptarum cladium benè memorem, ac de iis vindictam sumere, serio cogitantem, collectis tot Provinciarum, ac Regnorum, quæ Tyrannide suâ opprimit, viribus efferatiori, quàm unquam rabie, bellum instaurare velle, maximisque tam maritimis, quàm terrestribus copiis Christianorum fines formidabili sua potentia irrumpere decrevisse: Nos imminentibus fi- LXIV.

de-

deli populo periculis paternâ charitate vehementer commoti, primum quidem privatis noſtris ſacrificiis ad Deum toto corde clamare non ceſſavimus, ut effunderet iram ſuam in gentes, quæ illum non noverunt, & in regna, quæ nomen ejus non invocaverunt: verba illa Joſaphat Regis cum ab Ammonitis, & Moabitis impeteretur, humiliter uſurpantes: *Domine Deus Patrum noſtrorum, tu es Deus in Cœlo, & dominaris cunctis Regnis Gentium; in manu tua eſt fortitudo, & potentia, nec quiſquam Tibi poteſt reſiſtere. In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui ut oculos noſtros dirigamus ad Te.* Indictis deinde publicis precibus, Chriſtifideles non ſolùm in Alma Urbe noſtra, ſed etiam in univerſa Italia, eique adjacentibus Inſulis degentes, ad iram Dei, quæ peccatis hominum aſſiduè laceſſitur, per ſalutaris pœnitentiæ lamenta, jejunia, eleemoſynas, ſynceraſque obſecrationes placandam excitare ſtuduimus. Id ipſum nunc demum à toto Chriſtiano populo faciendum eſſe arbitramur, ut concordi charitatis fervore accedant omnes cum fiducia ad Thronum gratiæ, ſciſſiſque per veram pœnitentiam cordibus, ac auctis per jejuniorum labores, & eleemoſynarum largitiones viribus orationis, divinam opem in his urgentiſſimis Eccleſiæ neceſſitatibus unanimiter implorare connitantur. Potens eſt enim Oratio Eccleſiæ ſupplicantis ad Dominum, qui pius eſt, ac miſericors, & propitiatur invocantibus eum in veritate. Hæc tamen ut fructuoſiùs, ac promptiùs ab omnibus peragantur, ex priſco Romanæ Eccleſiæ more cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem fidei noſtræ commiſit divina dignatio, aperire, & liberali manu erogare decrevimus: concedendo ſcilicet plenariam omnium peccatorum Indulgentiam in forma Jubilei omnibus Chriſtifidelibus in Urbe quidem

exi-

exiſtentibus, qui intrà ſpatium duarum ſequentium hebdomadarum jejunaverint quarta, & ſexta feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujuſmodi, nec non Eccleſias, ſeu Baſilicas S. Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris, vel earum aliquam viſitaverint, & ibidem oraverint, ac peccata ſua confeſſi ſacram Communionem ſumpſerint, pauperibuſque eleemoſynam, prout ſua cuilibet pietas ſuaſerit, erogaverint. Cæteris verò extra Urbem præfatam commorantibus, qui Eccleſiam, ſeu Eccleſias ab Ordinario deſignandam, vel deſignandas viſitaverint, & alia omnia præmiſſa adimpleverint; prout in literis deſuper de more expediendis uberiùs explicabitur. Agite ergo, VENERABILES FRATRES, atque opportuno potiſſimùm recurrente tempore, quo Divinus Spiritus repentino ſonitu ſuper Apoſtolos venit, menteſque carnalium in ſui amorem permutavit, & foris apparentibus linguis igneis, facta ſunt intus corda flammantia, Patrem Miſericordiarum, & Deum totius conſolationis ſuppliciter invocemus, ut fideles ſuos, ac præſertim Catholicos Principes veræ charitatis indiſſolubili nexu firmiter vinciat, induatque illos fortitudine, quæ de Cœlo eſt; Unde hoſtes Chriſtiani nominis, qui in multitudine contumaci, & ſuperbia venientes, Regna, Provincias, & Principatus evertere, cladibuſque involvere meditantur, protegente Domino, in cujus manu eſt ſalvare in multis, & in paucis, diſſipentur, & diſperdantur, atque à Chriſtianorum cervicibus longè repellantur.

IN EODEM CONSISTORIO.

Abſolutis præconiis, & propoſitionibus Eccleſiarum ita proſecutus eſt.

VE-

VENERABILES FRATRES.

LXV. AD Omnipotentis Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus, palàm hodiè evulgare, & declarare intendimus Cardinalem illum, quem dudum in Conſiſtorio noſtro ſecreto habito die 30. Januarii 1713. creavimus, & in pectore reſervavimus, videlicet: Dilectum Filium Damianum Hugonem ex Comitibus de Schonborn non minùs pietate, quàm literis in hoc Collegio Germanico de Urbe ante viginti annos educatum.

Prætereà creare ſimiliter intendimus alium Cardinalem, nempe Venerabilem Fratrem Henricum de Thyard de Biſſy Epiſcopum Meldenſem, cujus eximia in Nos, in Eccleſiam univerſam, imò & in ipſam Catholicam Religionem merita, ſive pro Eccleſiaſtica libertate tuenda, cum Eccleſiæ Tullenſi præeſſet, ſive pro Orthodoxæ doctrinæ veritate propugnanda, poſtquam ad Meldenſem translatus fuit, ſatis Vobis comperta ſunt, & nota; atque huic demùm tres alios adjungere conſtituimus, quos tamen rationabilibus ex cauſis in pectore reſervare decrevimus, arbitrio noſtro quandocumque evulgandos.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus, & reſpectivè creamus S. R. E. Cardinales

Damianum Hugonem ex Comitibus de Schonborn.

Henricum de Thyard de Biſſy Epiſcopum Meldenſem.

Alios tres in pectore reſervamus arbitrio noſtro quandocumque declarandos.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 23. Septembris 1715.

ARGUMENTUM.

Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Ludovici XIV. obitum, qui prima die menſis Septembris contigerat, Sacro Collegio de more nunciat, ejuſque virtutibus, ac rebus geſtis ampliſſimo præconio decoratis, Exequias pro ſuffragio illius Animæ in Pontificio Sacello celebrandas indicit.

VENERABILES FRATRES.

INgentem dolorem, quem Vos unà Nobiſcum ſuſcepiſſe non dubitamus, ubi primùm, fama ipſa vulgante, Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIV. deceſſiſſe audiviſtis, acerbiùs hodie renovare, inflictumque animis noſtris vulnus exaſperare cogimur: dum hunc ipſum triſtiſſimum nuncium Nobis per literas novi Regis, ac Ducis Aurelianenſis Regni Rectoris, inſignibus utriuſque eorum in Nos, & hanc Sanctam Sedem filialis obſervantiæ notis refertas, nuperrimè confirmatum, Vobis ex hoc loco, ut moris eſt, communicamus. Quomodò enim non maximè dolebimus graviſſimam hanc non Galliarum tantùm, ſed univerſæ prorsùs Chriſtianæ Reipublicæ jacturam? Dolemus profectò ſplendidiſſimum, ævi noſtri lumen, ac grande decus extinctum. Dolemus Nobilium quarumvis diſciplina- LXVI.

rum, ac bonarum artium fautorem munificum ſublatum. Virtutes omnes, ac præſertim Catholico homine dignas, ſive dolis infenſæ hæreſeos agitatas, ſive etiam ſævientis fortunæ injuriis jactatas certo, ac firmiſſimo præſidio deſtitutas dolemus. Dolemus ereptum Euangelii Præconibus in remotioribus Infidelium plagis Patronum beneficentiſſimum; orbatam Filio Chariſſimo Apoſtolicam Sedem: & quod animum noſtrum acriori planè ſenſu percellit, potentiſſimo Defenſore, ac imperterrito Vindice Orthodoxam Religionem viduatam dolemus. Non ita tamen dolemus, ut quæ meritò lenire poſſunt mœrorem noſtrum, ſolatia reſpuamus. Eædem ſcilicet inclyti Regis virtutes, juſtitia, pietas, religio, prudentia, animi magnitudo, quæ dejectis in ejus Sepulchrum oculis lugere Nos cogunt, eis in ſublime erectis de illius piè credita felicitate lætari Nos jubent. Hanc præ ceteris ſperare Nos facit mirificus ille zelus Domus Dei, quo Religioſiſſimus Princeps ſemper exarſit, ſed tunc præcipuè cùm jam ante triginta annos, omnibus humanæ prudentiæ rationibus penitùs neglectis, Edicta illa abrogavit, quæ perduelles hæretici ab ipſius Majoribus Regibus inter bellorum æſtus, & pericula dudum extorſerant: noviſque editis Decretis, quibus illius ſectæ hominibus omnis Templorum uſus, ac coeundi libertas interdicebatur, brevi paucorum menſium ſpatio univerſam planè Galliam ab ea ſuperſtitione liberavit, quæ populos illos civilibus diù bellis miſerè afflixerat ingenti cum periculo orthodoxæ fidei, & publicæ incolumitatis. Auget ſpes noſtras indefeſſum ſtudium, quo Rex Optimus Catholicæ Doctrinæ tuendæ, eliminandiſque erroribus: præſertim verò radicitus extirpandis Janſenianæ hæreſeos malis germinibus, propugnandiſque latis adversùs eam Sanctæ hujus Sedis judiciis, per tot annorum decurſum tam ferventer adlaboravit, ut etiam in eo morbo, qui poſtremus illi laborum mortalium fuit, noviſſimæ noſtræ hac potiſſimum

in

in re editæ Conſtitutioni inobedientes compeſcere, omnique ad id ſuæ poteſtatis validiori præſidio Eccleſiaſticam authoritatem fulcire paratus, cœpto jamdudum operi ſupremam manum adjicere ſummoperè exoptaverit. Silebimus alia; ſed injecta jam poſtremi morbi mentione ſilere non poſſumus invictam illam, ac verè Chriſtianam fortitudinem, qua Rex præſtantiſſimus charorum ſibi Capitum funeribus jampridem aſſuetus, ita in ejuſmodi morbo ſe geſſit, ut nemo ex veteris Philoſophiæ Sectatoribus tam magnificè contemptum mortis decantaverit in Scholis, quàm Ille fortiter exercuit in arena. Hæc ſanè omnia, & alia plurima, quæ tacemus, ſuadere facilè poſſent Ludovicum XIV. non tam diuturno dudum enitentis naturæ labore, quàm indulgentis dono providentiæ ſerò terris, poſt longam ſcilicet Parentum ſterilitatem, à Cœlo conceſſum, ſerò itidem emerito Cœlo fuiſſe à terris redonatum. Verùm quia, ut Sacræ literæ Nos admonent, & Nos dolentes dicimus: *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet*, ideò & ratione ducimur, & debito charitatis urgemur, ut ſacrificiis, orationibus, & obſecrationibus demortui Regis animæ ſolatium comparemus. Id porrò, & privatim Nos agere hactenùs non prætermiſimus, & Vos una Nobiſcum proſequi enixè optamus, hoc ipſum ſuo tempore publicis in Pontificio noſtro Sacello Exequiis, ſtatâ die Vobis indicendâ, juxta Prædeceſſorum noſtrorum morem ſolemni ritu præſtituri. Deum interim Opt. Max., in cujus manu ſunt corda Regum, enixè rogemus, ut novi Chriſtianiſſimi Regis Ludovici XV. tenellam ætatem cuſtodiat, dirigatque ſemper ejus greſſus in viam mandatorum ſuorum, quatenùs ſapientiâ juxta, ac annis proficiens expectationi, quæ de illius egregiâ indole maxima eſt, abundè reſpondeat ad ſubditarum ſibi gentium quietem, ad Eccleſiæ bonum, ad Catholicæ Religionis præſidium, Chriſtianæque Reipublicæ felicitatem.

quæ illorum quilibet in graviſſimis hujus Sanctæ Sedis Miniſteriis domi, foriſve laudabiliter exercendis ſibi cumulavit.

Intendimus inſuper hac ipſa die declarare, & palàm evulgare tres illos Cardinales, quos in Conſiſtorio noſtro ſecreto die 29. Maji proximè præteriti habito creavimus, & in pectore reſervavimus, videlicet.

Innicum Caracciolum Epiſcopum Averſanum, cujus præclaras, ac Sacro Antiſtite vere dignas virtutes, nemo ex Vobis eſt, qui ignoret.

Bernardinum Scottum Rotæ Romanæ Auditorem, Almæque Urbis noſtræ Gubernatorem, pari cum juſtitiæ, ac prudentiæ laude, utroque munere perfunctum.

Ac demum Carolum de Marinis, quem, ut probè noſtis, in ipſo Pontificatus noſtri primordio jam à decennio, & ultrà ſub duobus Prædeceſſoribus noſtris Cameræ noſtræ Apoſtolicæ generalem Auditorem, adeôque tam ante, quàm poſt ſuppreſſionem venalitatis ejuſmodi Officii illo fungentem invenimus: indè verò poſt alios ferè novem annos ab eo in eodem munere tranſactos ad Pontificii noſtri Cubiculi Præfecturam, quam ſex, & ultra annis exercet, tranſtulimus. Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ declaramus, & reſpectivè creamus S. R. E. Cardinales: Presbyteros quidem

Innicum Caracciolum Epiſcopum Averſanum.

Bernardinum Scottum,

Nicolaum Caracciolum Archiepiſcopum Capuanum,

Joannem Patritium Archiepiſcopum Seleuciæ

Ferdinandum Nuptium Archiepiſcopum Nicænum, ac

Nicolaum Spinulam Archiepiſcopum Thebarum.

Diaconum verò Carolum de Marinis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 13. Januarii 1716.

ARGUMENTUM.

Ingruentia Chriſtianæ Reipublicæ, Italiæ potiſſimum, ac ipſimet Urbi à Barbarorum armis pericula, & quæ ad ea avertenda geſſerat, ac gerere meditabatur, exponit; deinde DD. Cardinales ad ſubſidia in uſum tam neceſſarii belli, & communis defenſionis liberaliter conferenda enixè hortatur.

VENERABILES FRATRES.

LXIX. Uanta in ſolicitudine, ac mœrore verſemur ob immanem, & ante hac inauditum terreſtrium, maritimarumque copiarum apparatum, quo infenſiſſimus Turcarum Tyrannus, ſecundis armorum ſuorum initiis elatus, nihilque ſibi jam impervium fore confidens, non Venetas tantùm, ſed Chriſtianas planè omnes Provincias, noſtramque in primis Pontificiam Ditionem, imò & hanc ipſam veræ Religionis Arcem aggredi meditatur, non eſt cur Vobis, qui hæc omnia noſtis, ac unà Nobiſcum impenſiſſimè doletis, pluribus explicemus. Noſtis profectò omnia, ut diximus: adeôque etiam noſtis, jamdudum Nos gra-

viſ-

viſſima hæc noſtra, imò & univerſæ Chriſtianæ rei, ac Orthodoxæ Fidei diſcrimina prævidiſſe; pluries propterea non ſolùm in hac alma Urbe, ac deindè per Italiam, eique adjacentes Inſulas, ſed noviſſimè etiam per totam Eccleſiam indictis precibus Chriſtifideles omnes excitaſſe ad exercituum Dominum humiliter exorandum, ut effunderet iram ſuam in gentes, quæ illum non noverunt, & in Regna, quæ nomen ejus non invocaverunt. Noſtis itidem pluries Nos ad Chariſſimos in Chriſto Filios Noſtros in Imperatorem Electum, alioſque Reges, ac Principes Catholicos totius Chriſtiani Populi vota, ac ſuſpiria detuliſſe, illoſque præſertim, à quibus id ipſum, quod Nos petebamus, ſacri fœderis adversùs Barbaros olim initi ratio poſtulabat, vehementiori, quo potuimus, ſtudio rogaſſe, atque obſecraſſe, ut omni abrupta morâ ad communem ſalutem contra nefaria eorumdem Barbarorum molimina propugnandam accurrerent. Noſtis demum Nos ipſos periclitanti publicæ incolumitati iis omnibus, quæ attritæ Apoſtolici Ærarii, ac ſubditorum noſtrorum vires Nobis permiſerunt, collatis ſubſidiis, nullatenus hucuſque defuiſſe. Verùm, nondum oblito Domino delicta populi ſui, ac de peccatis noſtris graviorem forſan vindictam ſumere parante, omnes has curas noſtras optato, quem ſperabamus, fructu omninò hactenus vacuas experti ſumus. In ſummum proinde diſcrimen non modò temporalis ditionis noſtræ, ſed verius univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, Eccleſiæ Catholicæ, ac Orthodoxæ Religionis cauſam prorſus adductam lacrymantibus Pontificiæ charitatis oculis intuemur. Quid enim Nobis, quid Vobis, quid Italiæ, quid Romæ, ſi Veneta Reſpublica (quod Deus avertat) in eo, quod proximo vere ſibi paratur, bello ſuccumberet, à victricibus Turcarum armis; eorumque inteſtino in Chriſtianos odio, ac inexplicabili cupiditate metuendum foret, longè facilius Vobis erit per Vos ipſos intelligere, quàm Nobis explicare.

care. Nos tamen hæc inter, licèt maxima, impendentium malorum pericula, aliaſque multiplices, quibus undequaque circumdamur, calamitates, in Illius ineffabili bonitate confiſi, qui dat laſſo virtutem, & his, qui non ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat, non concidimus animo; ſed Paſtoris Euangelici exemplo, qui animam ſuam libenter ponit pro ovibus ſuis, quamvis ſuſtentemur pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, officium noſtrum non dimittimus, nec dimittemus. Novis idcircò, atque iteratis officiis ad imminentem hanc fæviſſimam tempeſtatem avertendam Orthodoxorum Regum opem, ut majori, quo poterunt, bellicarum navium numero Venetam claſſem incunctanter augere velint, per citatos Tabellarios enixè imploramus. Nova etiam Nos ipſi, & quidem ampliora ſubſidia, quantum rerum, ac temporum aſperitas patitur, in gravem hanc, & omninò neceſſariam cauſam, in quam ſacra quoque vaſa impendi æquum eſſe novimus, parare non prætermittimus. Cumque inter cætera animadverterimus Baſilicæ Vaticanæ Fabricam, noſtri Pontificatus tempore, integrum æs alienum quingentorum ſcutorum millium, quo pridem obſtringebatur, diſſolviſſe: ac inſuper exploratum habeamus majorem reddituum partem ejuſdem Fabricæ non aliunde provenire, quàm ab eleemoſynis percipi ſolitis ex pecunia illa, quæ juxta tenorem Indultorum à Prædeceſſoribus noſtris conceſſorum pro ſola tuitione Chriſtianarum Provinciarum adversùs Infidelium molimina impendenda eſt; rem munere noſtro dignam, & ab eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum mente non alienam Nos egiſſe exiſtimavimus mandando, prout jam mandavimus, ut eadem Fabrica novum nunc contrahat æs alienum in ſumma trecentorum millium ſcutorum pro emendis potiſſimùm, ſeu conducendis bellicis aliquot navibus eroganda, Triremium noſtrarum Claſſi in auxilium Venetorum adjungendis. Ad hæc ſubditorum noſtrorum utriuſ-

que Maris litora incolentium ſecuritati adversùs Barbarorum Piratarum injurias, validioribus adhibitis mediis opportunè proſpicere conſtituimus. Hæc facimus: plura alia etiam ſupra vires meditamur, ut majora, quemadmodum rei gravitas poſtulat, in dies faciamus. Verè tamen etiam, poſtquam illa fecerimus, non aliam, quàm in divina ope ſpem habentes, ad Eum, qui dives eſt in miſericordia, ac Servos ſuos non deſerit in tempore tribulationis, clamare non ceſſamus, ut non tradat beſtiis animas confitentes ſibi, nec det hæreditatem ſuam in opprobrium, ut dominentur eis Nationes. Porrò ut hoc ipſum illi ſpeciatim Chriſtifideles, qui in hac Religionis Sede commorantur, concordibus votis agere pergant, eorum ad id pietatem prolatis in proxima Feſtivitate Romanæ Cathedræ Beatiſſimi Apoſtolorum Principis cœleſtium munerum theſauris incitare non omittemus: ipſius Apoſtolorum Principis patrocinio confiſi, ut nullis permittat Nos Dominus perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ Confeſſionis Petra ſolidavit. Hæc Vobis, VENERABILES FRATRES, qui Nobiſcum in adminiſtratione Eccleſiæ Dei operam, curaſque veſtras ſedulò impendere non deſiſtitis, indicare voluimus, ut enixis primùm ad Dominum precibus: ope deinde, ac ſubſidiis veſtris, quemadmodum aliàs non ſemel, leviori etiam urgente periculo, à Majoribus veſtris, imò & à Vobis ipſis piè, ac liberaliter factum fuit, graviſſimam hanc cauſam, in qua publicæ ſaluti Catholicæ Religionis ratio conjuncta eſt, juvare poſſitis, veſtroque exemplo diſcant alii, qui Eccleſiaſticos redditus obtinent, bona illa, quæ ſunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, ſanctiorem in uſum erogari non poſſe.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 30. Martii 1716.

ARGUMENTUM.

Iterum de Turcico bello fusè disserit, quæque ad propulsandos hostiles conatus gesserat, & à Christianis etiam Principibus gesta fuerant, disertè commemorat. Decimarum subsidium indicit. Cardinali Ursino Germanicam profectionem remittit.

VENERABILES FRATRES.

LXX. Nstat jam tempus, *quo solent Reges ad bella procedere*; instat & illud, quo nefarius Turcarum Tyrannus, felicibus præteriti anni successibus elatus, validiori, quàm unquam anteà, armorum robore, quemadmodum aliis super alios certissimis nunciis ad Nos affertur, Christianæ Classis adventum antevertere satagit, Catholicas ditiones iterum oppugnaturus. Insonat jam auribus nostris, ut cum Prophetâ loquamur: *Vox flagelli, vox impetus rotæ, & equi frementis, & Quadrigæ ferventis, & Equitis ascendentis: & micantis gladii, & fulgurantis hastæ*: animoque jugiter, atque oculis nostris obversantur gravissima Christiani gregis discrimina, quæ fortiter clamare nos cogunt: *Exivit*

Leo de cubili ſuo, & prædo gentium ſe levavit. Egreſſus eſt de loco ſuo, ut ponat terram noſtram in ſolitudinem: Quia tamen parum eſſet mala hæc deplorare, niſi & illa omni virium, & animi contentione avertere conaremur; idcircô præter enixas, quas ad Deum hactenùs fudimus, & adhùc quotidiè fundimus, preces, ut non obliviſcatur miſereri, nec contineat in ira miſericordias ſuas, Orthodoxos Principes iteratis officiis excitare non omiſimus, ut validis Triremium, aliarumque bellicarum Navium ſuppetiis inclytam Venetorum Rempublicam juvare quamprimùm velint, nè aliàs vel iniquas, & publicæ cauſæ luctuoſas pacis conditiones à ſuperbo victore accipere, vel ingruentem Othomanici furoris tempeſtatem ſola propemodum excipere, ac ſuſtinere cogatur. Eum hactenùs, ut probè noſtis, ab ejuſmodi officiis fructum, benedicente Domino, percepimus, quòd Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus cum immortali ſui nominis gloria ad publicam cauſam à Barbarorum conatibus aſſerendam ſex bellicas Naves, & quinque Triremes ære ſuo inſtructas mittere decreverit: imò & multa peditum, equitumque millia, ſi ea vellemus, in eumdem uſum Nobis adderet: qua ſanè re eximiam pietatem ſuam cum ſingulari publici boni ſtudio conjunctam luculentiſſimè declaravit. Firmam inſuper ſpem adhùc habemus fore, ut illuſtre illius exemplum alii quoque Catholici Principes, ac potiſſimùm Chariſſimus itidem in Chriſto Filius noſter Joannes Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illuſtris, nec non Dilecti Filii Nobiles Viri Dux, & Gubernatores Reipublicæ Januenſis alacriter imitentur. Unde ubi Triremes noſtræ, ac bellicæ Naves, quas pecunia noſtrâ jam conduximus, adjungantur, iiſque etiam Triremes Dilecti Filii Nobilis Viri Coſmi Etruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis unà cum bellicis itidem Navibus, atque Triremibus Melitenſibus adjiciantur, non exiguum Venetæ Claſſi incrementum allatum iri confidimus.

Ma-

Maximo prætereà cum animi noſtri ſolatio certiores nuperrimè facti fuimus, Chariſſimum etiam in Chriſto Filium Noſtrum Carolum Romanorum Regem in Imperatorem Electum non tam officiis, ac precibus noſtris adductum, quàm veriùs ſingularis pietatis ſuæ ſtimulis incitatum, deliberato jam eſſe animo ad Chriſtiani nominis hoſtes propulſandos, nulliſque novis adhortationibus indigere ad aggrediendum opus, pro quo, ut ipſemet ad Nos ſcripſit, ingentes belli apparatus ex Regnis, & Provinciis ſibi ſubditis indefeſſo ſtudio, omni conatu, ſummoque labore jam collegit. Supervacaneum proindè rati calcaria currenti admovere, conſilium ſuſcepimus remittendi Venerabili Fratri Noſtro Vincentio Mariæ Epiſcopo Portuenſi S. R. E. Cardinali Urſino profectionem ad Aulam Viennenſem, quam ipſe, quacumque vel hyberni temporis, vel itineris aſperitate contempta, ut laboranti Chriſtianæ Reipublicæ opem ferret, libenter aggredi paratus erat: eâque mente, ubi primùm requiſitus à Nobis fuerat, ad almam hanc Urbem omni ſublata mora ſe contulerat. Poterit itaque ipſe jam redire ad ſuam Eccleſiam Beneventanam, novâ hac, & ſanè præclara laude cumulatus, quod agnita rei Chriſtianæ neceſſitate, ut ei, quantum in ſe erat, ſubveniret, nullum incommodum, nullumque laborem detrectaverit, ac eximium publicæ cauſæ ſtudium, quale profectò verum Romanæ Eccleſiæ Senatorem decet, palàm oſtenderit. Cæterum ad magis confirmandum in ſuo verè laudabili propoſito eumdem Imperatorem Electum, illius poſtulatis quoad decimas in hujuſmodi belli ſumptus exigendas ex bonis Eccleſiaſticis utriuſque Cleri, quæ in ejus ditionibus conſiſtunt, promptè, ac libenter ſatisfecimus; eique inſuper, erecto ſupra vires animo, quingenta florenorum millia intrà præſentem annum ſtatis temporibus, ac conditionibus perſolvenda obtulimus: exiguam quidem ſummam, ſi tanti belli moles, & deſiderii noſtri magnitudo ſpectetur: magnam verò, imò

& maximam, ſi eam conditione temporum, ærarii noſtri, ſubditorumque noſtrorum inopia, & aliarum undique occurrentium impenſarum neceſſitate metiamur. Hæ profectò anguſtiæ, (quæ majoribus hac de cauſa in dies faciendis ſumptibus ſemper graviores erunt) animum noſtrum adegerunt ad decimarum ſubſidium, quas Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri pro Chriſtianæ Reipublicæ defenſione ab Italico Clero exigere conſueverunt. Illas proindè quamprimùm indicere, ac imponere decrevimus, Fraternitates Veſtras, quæ Nobiſcum in adminiſtratione Eccleſiæ Dei curas, operaſque impendunt, ab iis, ut moris eſt, eximentes, ſicuti in Apoſtolicis literis, quæ ad unumquemque veſtrum ſuo tempore deferentur, expreſſum videbitis. Hæc indicare Vobis voluimus, ut pro parte ſolicitudinis, ad quam vocati eſtis, conatus noſtros juvetis tum opera, & conſilio, tum aſſiduis ad Deum precibus, hoc potiſſimum acceptabili tempore ferventiùs effundendis, ſicuti perſpecta pietas, & Religio veſtra, ac perpetuum cauſæ publicæ ſtudium pollicetur. Galeam igitur ſalutis aſſumamus, & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & quieſcere faciet Dominus ſuperbiam infidelium; potens eſt enim, quod aliàs in manu forti peregit, perfidam illorum Claſſem disjicere, jamdiù aſſuetis Divino imperio undis abſorbendam.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 2. Septembris 1716.

ARGUMENTUM.

Insignem de Turcis Victoriam in Hungariâ partam DD. Cardinalibus communicat. Principem Eugenium à Sabaudiâ meritis ornat laudibus, eique Pileum, & Ensem solemni ritu benedictos largiri constituit.

VENERABILES FRATRES.

Umulatum gaudium, quo animos vestros uberrimè perfusos novimus, ubi primùm superioribus diebus innumeras in Hungaria Turcarum Copias Cæsareis Armis penè ad internecionem obtritas, ac disjectas fuisse audivistis, impensius adhùc, & pleniùs percepturos hodie Vos esse non dubitamus: dum hunc ipsum faustissimum nuncium per literas Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Romanorum Regis in Imperatorem Electi ante duos dies à Dilecto Filio Nostro Vvolfango Annibale S. R. E. Cardinali de Schrottembach Nobis redditas confirmatum, Vobiscum ex hoc loco, ut æquum est, nullâ interpositâ morâ communicamus. Quomodò enim non effusè lætabimur, ubi ingentes Barbarorum vires in exitium Christiani nominis con- LXXI.

tra-

tractas, florem ſcilicet Othomanicæ Militiæ, numero ferocientem, opibus exultantem, animoque clades noſtras ſuperbè præcipientem, profligatum eſſe percipimus? Ubi captis caſtris, Ærarium, commeatum, tormenta ſupra centum, & ſeptuaginta, totidemque ferè vexilla, bellicum omnem apparatum, prædamque opulentiſſimam in Chriſtianorum Militum poteſtatem perveniſſe intelligimus? Ubi demùm inter ipſa belli auſpicia, quod ſperare poſt plurium præliorum aleam vix potuiſſemus, divinitus Nobis contigiſſe conſpicimus? Opus ſanè dexteræ Excelſi, qui fecit virtutem, & percuſſit inimicum. Levantes igitur cor, & oculos noſtros in Montem excelſum, & Sanctum, undè omne Nobis auxilium effluxit, ſacrificemus bonorum omnium largitori Deo hoſtiam laudis, & jubilemus ei in voce exultationis.

Cùm tamen abundè omnibus compertum, ac longè perſpicuum ſit validiſſimam in primis B. Virginis opem, quam toties repetitis precibus imploravimus, proſperos hoſce ſucceſſus mirificè provexiſſe, ratio omnis poſtulat, ut maximas æquè, ac publicas in Liberianâ Baſilicâ eidem Auguſtiſſimæ Virgini Sacrâ Omnipotenti quidem Deo pro largè collatis, Sanctiſſimæ verò ejus Matri pro clementer impetratis beneficiis gratias agamus: Partæ ſcilicet victoriæ Nos Dominus compotes eſſe fecit eo die, in quem anniverſaria admirandæ Dedicationis dictæ Baſilicæ memoria recurrebat; ac cum in ea ſolemnioribus cæremoniis Sacratiſſimus dies ejuſdem Virginis in Cœlum aſſumptæ celebraretur, primum ad Nos rei proſperè geſtæ nuncium pervenire voluit, ut non minus pugnantibus victoriam, quàm orantibus lætitiam, Glorioſiſſima Virgine utriſque ſuffragante, proveniſſe apertè cognoſceremus.

Quin imò, nec ſinè peculiari Divinæ Providentiæ conſilio eveniſſe arbitramur, ut confirmatum Victoriæ nuncium Vobis hac ipſa die ſignificaremus, quâ Buda ante triginta annos

Chri-

Chriſtianis Armis expugnata fuit. Neque enim in diem auſpicatiorem incidere id poterat, quàm cum Sancti Stephani Hungariæ Regis Feſtum celebramus, qui præcelſam Dei Genitricem, quam ardentiſſimè venerabatur, ampliſſimo in ejus honorem conſtructo Templo, Hungarici Regni Patronam inſtituit, ab eâdem viciſſim Virgine receptus in Cœlum ipſo ſuæ Aſſumptionis die, quem Hungari ex Sancti Regis inſtituto Magnæ Dominæ diem appellant. Proxima itaque Dominica die in præfatâ Baſilicâ debitum, ut diximus, gratiarum officium perſolvemus, ibique ex Turcicis Signis, quæ memoratus Imperator Electus, veluti quaſdam victoriæ primitias, pro ſua in hanc Sanctam Sedem obſervantia, ad Nos miſit, illud præcipuè, quod inſignius eſt, & juxta ſuperſtitionem impiæ gentis ſacrum, Liberiano Tholo ſuffixum relinquemus, ad illuſtre non minùs Chriſtianæ Religionis trophæum, quàm Cæſareæ pietatis, ac divini beneficii monumentum. Ita enim cùm Chriſtifideles ereptum Turcis vexillum ad Præſepe Domini pendens intuebuntur, Deum Optimum Maximum ferventiùs exorabunt, ut inſtantibus victoriæ fortiſſimis Chriſtianæ rei propugnatoribus, etiam Chriſti Sepulchrum, atque ipſa Urbs Sancta Jeruſalem à diuturna, ac teterrima nefariorum hoſtium captivitate aliquando redimatur. Latere Vos interim nolumus, quòd Nos oblata Nobis Barbarorum ſpolia ſpeciali aliquo Pontificiæ benevolentiæ dono compenſare cupientes, Dilectum Filium Nobilem Virum Principem Eugenium à Sabaudia, fortiſſimum Cæſarei Exercitus Ducem, cujus ſcilicet inclyta virtute, ac ſapientia potiſſimùm effectum eſt, ut immaniſſimi hoſtes, tametſi initio prælii, quemadmodùm ipſemet Electus Imperator ad Nos ſcribit, acriter non minùs, quàm inaudito hactenùs ordine pugnaverint, partim nihilominùs cæſi, partim capti, partim præcipiti fuga, vel abſumpti, vel diſperſi, ac diſſipati fuerint: Pileo, & Enſe per Nos ſolemni ritu benedictis, quibus nimirum

præclaros Orthodoxæ Religionis Aſſertores inſignire interdum conſueverunt Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, donare decrevimus; ut ejuſmodi muneris inflammatus myſteriis, Gladio quidem circa femur ſuum potentiſſimè accingatur, Pileo verò, veluti galea ſalutis induatur, & ad magis, magiſque in dies Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes conterendos excitetur. Reliquum nunc eſt, ut Dominus Exercituum opus, quod cœpit, pro ſua in Nos clementia perficiat: in primis verò Italicas oras, ac præſertim temporalis noſtræ ditionis Populos ad Corcyrenſis obſidionis diſcrimen trepidantes benignè reſpiciat. Accedamus igitur, VENERABILES FRATRES, cum fiducia ad thronum gratiæ; Patremque Miſericordiarum humiliter obſecremus, ut terreſtrem in Hungaria triumphum maritima ad Corcyram victoria cumulatè velit, atque ita hoſtium immanitate terra, marique confracta, omnem à Chriſtianorum Provinciis metum, & cladem in barbaras Infidelium terras avertat.



VERBA,

Quibus Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Wolfangus Annibal S.R.E. Cardinalis de Schrottembach quatuor Vexilla, in Hungarico prælio Turcis erepta, Sanctiſſimo Patri CLEMENTI XI. *obtulit in Baſilicâ Liberianâ die 6. Septembris 1716., cùm ibidem ſolemni ritu Omnipotenti Deo de Chriſtianorum Armorum felicitate gratiæ agerentur.*

BEATISSIME PATER.

Acra Cæſarea, Regiaque Catholica Majeſtas debitâ filiali obſervantia ad Sanctiſſimos pedes Tuos proſternit hæc Vexilla, quæ in exordio belli cruentiſſimo conflictu immani Chriſtiani nominis hoſti erepta fuere; Cui enim magis debentur hæc Trophæa, quàm Tibi, qui indefeſſo labore, apertis æràriis, aſſiduis precibus, ipſa etiam certaminis hora, in Liberianâ Baſilicâ ingentem hanc Victoriam Orbi Catholico procuraſti? Age igitur, SANCTISSIME PATER, & fove benigno affectu populum Tibi devotum, populum, qui pro Deo, fide, Eccleſia, bono denique publico fortiter pugnat. Et quod ſummum, maximumque eſt, idque enixè rogamus, adde preces precibus, & Nos favente Deo ſub protectione Magnæ Dominæ addemus Victoriis Victorias.

Sanctiſſimi Patris CLEMENTIS XI. *reſponſum.*

LXXII. UBerem lætitiam, quam ante aliquot dies ob inſignem victoriam ab exercitu Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Romanorum Regis in Imperatorem Electi de teterrimis Chriſtiani nominis hoſtibus in Hungaria reportatam: Et hac ipſa die ob illius optatiſſimum fructum, Corcyram ſcilicet ab arctiſſima obſidione mirabiliter liberatam, ſuſcepimus; plurimum nunc augent barbara hæc ſigna, quæ à Turcarum manibus invicta Cæſareorum Militum fortitudo feliciter abſtraxit, quæ Tu, Dilecte Fili Noſter, tam diſertis ejuſdem Electi Imperatoris in Nos, & hanc Sanctam Sedem filialis obſervantiæ ſignificationibus Nobis offers: quæque Nos demum ad perennem beneficii memoriam, quod Omnipotentis Dei bonitas, Auguſtiſſima ejus Genitrice ſuffragante, Nobis conceſſit, tum in hoc Liberiano Templo, tum in Sacra Æde Lauretana appendi mandabimus. Eximiam ſanè in illis egregiorum Chriſtianæ Reipublicæ Propugnatorum virtutem agnoſcimus ſimul, & commendamus. Poſt debitas idcircò Patri Miſericordiarum de tam effusè collatis donis perſolutas gratias, victorem Cæſarem, illiuſque exercitum ampliſſimis præconiis, & benedictionibus cumulamus: feliciores eis ſemper ſucceſſus ad Catholicæ Religionis incrementum apprecantes. Nos certè ſucceſſus hujuſmodi, quantum in Nobis eſt, omni, qua poſſumus, via, quemadmodum hactenus adjuvimus, ita & in poſterum juvare non omittemus; in primis autem preces addemus precibus, ut exoptas: Illum qui potens eſt in prælio, continenter exorantes, ut piis æquè, ac ſtrenuis Cæſareorum Pugilum conatibus adeſſe velit, novoſque in dies recentibus triumphis triumphos adjiciat. Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, ex intimo paterni noſtri cordis depromptam Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 7. Decembris 1716.

ARGUMENTUM.

Ad Eccleſiam Patriarchalem Ulyxbonenſem Occidentalem noviter ereptam transfert R. P. D. Thomam de Almeyda Epiſcopum Portugallenſem.

VENERABILES FRATRES.

Nitio labentis anni, cùm immaniſſimus Turcarum Tyrannus proximâ, ac felici Peloponneſi expugnatione ſummoperè elatus, nihilque jam ſibi impervium fore confidens, ingenti terreſtrium, maritimarumque copiarum apparatu, non Venetas tantùm, ſed & alias Chriſtianas Provincias ferociter aggredi, cladibuſque involvere moliretur: potiſſimùm verò Inſulam, & Arcem Corcyræ, ſecuritatis Italicæ propugnaculum, oppugnare intenderet; Nos, ut benè noſtis, tot, tantiſque Eccleſiæ, ac Reipublicæ, imò & temporalis noſtræ ditionis periculis vehementer commoti, primùm quidem ad Illum, qui potens eſt in prælio, toto corde clamavimus, ut ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum eriperet Nos à malis, nec traderet beſtiis animas confi- LXXIII.

ten-

tentes ſibi: deindè verò Catholicos Principes omni paternæ charitatis contentione hortari non prætermiſimus, ut periclitanti publicæ incolumitati opem ferrent, ac eademmet, quibus nuper inter ſe digladiati fuerant, arma in Barbaros converterent. Hos inter Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Joannes Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illuſtris, nulla ſanè ditiones ſuas amplificandi cupiditate illectus, nulla itidem ingruentis ſibi à Turcarum armis periculi propinquitate adductus, ſed ſuæ dumtaxat eximiæ pietatis, filialiſque in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotionis ſtimulis incitatus, in auxilium Chriſtianæ Claſſis quamplurium bellicarum, munitiſſimarumque Navium ſubſidium, nullis incommodis, nulliſque expenſis, tametſi graviſſimis parcens, majori, qua potuit, celeritate tranſmiſit, validius etiam verè proximo communi Cauſæ, ut confidimus adfuturus. Hinc Nos ad tam præclara, omniſque humanæ laudis præconium longè ſupergreſſa ejuſdem Joannis Regis promerita Paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, eique gratum noſtrum animum luculento aliquo, ac ſingulari Pontificiæ largitatis argumento exhibere cupientes, cum probè ſciremus ipſum Regem nihil impenſiùs, vehementius nihil à pluribus annis exoptaſſe, quàm ut Civitatem Ulyxbonenſem, ſui Regni Metropolim, illiuſque Diœceſim, ingenti ambas populorum numero refertas in duas partes, Orientalem ſcilicet, & Occidentalem, æqualiter divideremus: earumque alterâ versùs Orientem antiquo Archiepiſcopatui Ulyxbonenſi jamdudum vacanti relicta, aliâ verò versùs Occidentem novo Archiepiſcopatui cum Patriarchali denominatione erigendo aſſignatâ, inſignem Collegiatam in eâdem parte Occidentali, videlicet in Cappellâ Regii Palatii dictæ Civitatis exiſtentem, quæ ſex Dignitatibus, & octodecim Canonicis conſtat, in ejuſmodi Metropolitanam, & Patriarchalem Eccleſiam erigeremus; auditâ ſententiâ peculiaris Congregationis ſuper hoc negotio à Nobis

ſpe-

ſpecialiter deputatæ piis, enixis, ac pluries repetitis memorati Regis votis annuimus; unde expeditis deſuper Apoſtolicis literis Civitatem, & Diœceſim prædictas in duas partes, Orientalem ſcilicet, & Occidentalem æqualiter diviſimus, facta tam antiquæ taxæ, quàm fructuum æquali itidem diviſione; relictâque antiquo Archiepiſcopatui Orientali parte, in alia Occidentali, certis expreſſis finibus, novum Archiepiſcopatum cum titulo, ac denominatione Patriarchali, ad inſtar Patriarchalis Eccleſiæ Venetiarum, addita reſervatione antiqui Regii Patronatus ereximus, & inſtituimus, ac eamdem inſignem Collegiatam in Cappella Regii Palatii ſub invocatione Divi Thomæ, ſicut præmiſimus, exiſtentem prævià ſuppreſſione prioris tituli, nomine, ac titulo Metropolitanæ, & Patriarchalis Eccleſiæ ſub invocatione Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ inſignivimus, & tam ei præficiendum Patriarcham, quàm illius Capitulum, & Canonicos variis prærogativis ad illorum honorificentiam pertinentibus decoravimus: adjectis demum pro felici, ac quieto utriuſque Eccleſiæ Regimine, nonnullis Decretis ad evitandas juriſdictionales controverſias, quæ ex hujuſmodi diviſione, ac reſpectivè erectione inter illarum Antiſtites oriri poſſent.

Hæc itaque Metropolitana, & Patriarchalis Eccleſia in parte Occidentali Civitatis Ulyxbonenſis ſic erecta quinquaginta mille Domos, & tercentum mille circiter continet habitatores, qui præfato Regi in temporalibus parent.

Quatuor Epiſcopos, nempe Leyrienſem, Lamacenſem, Funchalenſem, & Angrenſem præfatæ Eccleſiæ ſuffragari juſſimus: ſex inſuper Dignitates, quarum prima eſt Decanatus, ac octodecim Canonicos antiquæ Collegiatæ, ex quibus tamen trium Præbendas in Pœnitentiariam, Theologalem, & Doctoralem erigi mandavimus, nec non duodecim Beneficiatos Præbendatos nuncupatos, alioſque Eccleſiaſticos Miniſtros

ſtros eidem inſervire decrevimus.

Cura animarum, ut priùs, exercebitur per Presbyterum amovibilem in præfata Eccleſiâ, in quo adeſt Fons Baptiſmalis, ac Sacrarium Sacrâ Supellectili etiam ad exercenda Pontificalia ditiſſimè inſtructum.

Præter hanc extant in eâdem parte Occidentali Civitatis aliæ viginti Parochiales Eccleſiæ, vigintiquatuor Virorum, & quindecim Monialium Cœnobia, quamplures Confraternitates, & Hoſpitale; Caret autem Domo Patriarchæ habitationi ſpecialiter aſſignatâ, nec non Seminario, ac Monte Pietatis.

Fructus, ut præmiſimus, diviſi taxantur in mille florenis, aſcendunt verò ad quadraginta millia Cruciatorum illius monetæ nonnullis antiquis Penſionibus onerati.

Ad Metropolitanam, & Patriarchalem Eccleſiam prædictam in ſui primævâ erectione nunc vacantem transferre intendimus Venerabilem Fratrem Thomam de Almeyda Epiſcopum Portugallenſem, cujus qualitates ab hac Sancta Sede approbatæ fuerunt, cùm Eccleſiæ Lamacenſi in Epiſcopum præfectus, & deinde ad Portugallenſem Eccleſiam, cui à ſeptennio laudabiliter præeſt, translatus fuit. Quid Vobis videtur? Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra abſolvimus prænominatum Thomam à vinculo, quo tenetur, Eccleſiæ Portugallenſis, & transferimus ad Eccleſiam Ulyxbonenſem Occidentalem, præficientes eum in Patriarcham, & Paſtorem, cum retentione compatibilium, & Decreto, quod fidei profeſſionem emittere, & ad Urbem infra præfixum tempus tranſmittere, ac Juramentum fidelitatis præſtare omninò teneatur, quodque in dicta Civitate Ulyxbonenſi Occidentali Domus Patriarchalis conſtructioni pro viribus incumbat, Seminarium inſtituat, Montemque pietatis erigi curet, ejus conſcientiam ſuper his onerantes.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 4. Januarii 1717.

ARGUMENTUM.

Communicat DD. Cardinalibus deditionem à Turcis Auguſtiſſimo Imperatori factam munitiſſimi Oppidi Temeſvariæ, & Cappellam ſancto Epiphaniæ die in Liberiana Baſilica pro gratiarum actione habendam indicit.

VENERABILES FRATRES:

Tſi unicuique Veſtrum jampridem compertum eſſe non ignoremus Oppidum Temeſvariæ non tam natura loci, quàm artis operibus munitiſſimum, ac inſuper validiſſimo Infidelium præſidio firmatum, poſtquam ab Imperio Chriſtianorum avulſum per annos quatuor, & ſexaginta ſupra centum, Othomanicam tyrannidem pertulerat, à Cæſareis militibus vehementiſſimâ obſidione oppugnatum, penè ante tres menſes ad deditionem redactum fuiſſe; tanta tamen eſt ejuſmodi eventus felicitas, tantiſque cœleſtis auxilii argumentis illuſtrata, ut licèt de eâ iterum, ac ſæpius agi contingat, numquam profectò poſſit ſinè novo voluptatis ſenſu, novâque lætitiæ acceſſione com- LXXIV.

memorari. Hinc ubi primùm illum accepimus per literas Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Romanorum Regis in Imperatorem electi, die quidem vigeſimaprima Menſis Octobris proximè præteriti ad Nos datas, ſed Nobis per Dilectum Filium Ferdinandum Comitem à Lambergh ſupremum unius ex Cæſareis Legionibus Locumtenentem, quem idem Imperator electus ad Nos hac de cauſa allegavit, nonniſi quinto ab hinc die redditas, confeſtim Vobiſcum gaudia noſtra communicare, conceptamque dudum animis veſtris lætitiam jucundiſſimâ commemoratione renovare, & augere æquum duximus; Præſertim cùm hanc ipſam optatiſſimi nuncii tarditatem ingenti fœnore, hoc eſt, nova aliarum ab eodem Comite à Lamberg Nobis allatarum rerum felicitate abundè compenſatam eſſe videamus. Ab illo ſiquidem, qui non minùs Temeſvaricæ obſidioni, quàm Hungarico inter Savum, & Danubium ante quinque menſes inito prælio, quo innumeræ Barbarorum copiæ profligatæ fuerunt, interfuit, tamquam ab oculato teſte, non ſolùm luculentius, & enucleatius omnem utrobique proſperè geſtarum rerum rationem ediſcere, ſed novos etiam, & quidem uberrimos utriuſque victoriæ fructus, expugnata ſcilicet alia hoſtium præſidia, ac latiùs in dies prolata Chriſtianorum ſigna, nonniſi maxima cum jucunditate audire potuimus. Decet itaque, VENERABILES FRATRES, ut qui veſtras pro Chriſtiana Republica curas, preces, & vota, obſecrationibus, ſtudiis, & ſolicitudini noſtræ ſociare non omittitis, lætitiam quoque veſtram gaudiis noſtris ſocietis, & quos ad implorandam cœleſtem opem miniſterii, ac pietatis vinculo fœderatos habuimus, eoſdem ad gratias divinæ bonitati pro tot collatis donis agendas ſocios habeamus. Illa porrò Nobis eſt præcipua gaudendi materia, quòd ita ſacri hujus belli ſucceſſus fortunaverit Deus, ut & humiles Fidelium preces de excelſo ſuæ gloriæ Solio exaudiſſe, & Sanctiſſimæ Matris pro Nobis oblata

ſuf-

ſuffragia miſericorditer ſuſcepiſſe, non obſcuris indiciis teſtatus fuerit. Cùm enim nonnullis ab hinc menſibus opportunum illibatæ Virginis patrocinium, Auxilium Chriſtianorum, comparaturi, ad illius Pſalterium, ſeu Roſarium quotidiè, ac devotè recitandum tam privatim, quàm publicè ſupplicationibus habitis, non ſemel Chriſtifideles Edictis, adhortationibus, conceſſiſque Indulgentiis excitare ſtuduiſſemus: noviſſimè verò feſtum ejuſdem Roſarii diem cum Officio, & Miſſâ propriis per univerſum terrarum Orbem celebrandum decreviſſemus, ſtatim ac hujus ſolemnitatis octiduum expletum fuit, die nimirum duodecima memorati Menſis Octobris, deditionis Signum Barbari ſuſtulerunt, non ſolùm ſcilicet fractâ Chriſtianorum militum viribus Infidelium pertinaciâ, ſed potiſſimùm Religione Fidelium perfidiam Turcarum expugnante, ac Cœlorum Reginâ Cæſareis Armis, & Eccleſiæ rationibus opitulante. Unde cum victoriam quidem, ſed cruentam, nec ſinè multâ Chriſtianorum cæde, & ſanguine poſt plurima præliorum diſcrimina reportandam ſperaremus, Omnipotens miſericordiarum Pater, qui merita ſupplicum excedit, & vota, & milites propugnatores ſuos à largiori ſanguinis effuſione ſervavit, & palmam eis adhuc detulit triumphalem; Quinimò, ut alia etiam Nobis præberet argumenta gratulationis, eo ipſo die Dilectum Filium Nobilem Virum Principem Eugenium à Sabaudia præclarâ novæ hujus victoriæ laureâ donare voluit, quò miſſa ad eumdem meritiſſimum Principem Enſis, & Pilei ſolemni ritu per Nos benedictorum munera pervenerunt; Domino nimirùm, cujus miſericordia, & veritas manet in æternum, mirificè confirmante ſe Miniſtrorum ſuorum precibus clementer adeſſe, & Sanctæ hujus Sedis benedictionibus obſecundare. Verè igitur in diebus noſtris factus eſt Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis populo ſuo. Gaudentes proindè in eo, qui dedit victoriam,

debita illi gratiarum officia perſolvamus. Quod quidem privatim Nos facere hactenùs non prætermiſimus, & Vos ſimiliter feciſſe non dubitamus, communibus id ipſum Nobiſcum, ac publicis votis proximo Feſto Sanctiſſimæ Epiphaniæ in Liberiana Baſilica ad Præſepe Dominicum præſtaturos; ut ſacratiſſimi illius temporis, locique Religione admonente, ſpem noſtram Catholicæ Fidei iterum invehendæ in ampliſſimas Orientis Provincias, unde illa in Occidentem perlata fuit, alacriùs excitare poſſimus: futurumque in Domino confidamus, ut qui primitias gentium in Magis adoratoribus Chriſti in eodem Præſepe jacentis, depulſis ignorantiæ, ac ſuperſtitionis tenebris, ab ipſo Oriente vocavit in admirabile lumen ſuum, Beatiſſima Virgine ſuffragari pergente, in priſtinam Sedem, ac jura, atque in eaſdem Regiones, ubi primùm illuxit, ubi feliciter adolevit, ubi diù regnavit, Sacroſanctæ Religionis ſuæ cultum reſtituat. Reliquum nunc eſt, VENERABILES FRATRES, ut conſtantis, ac veræ pietatis officiis, quæ ſunt arma fidei potentia Deo, ferventiùs inſiſtamus, ne illum unquam Nobis ad iracundiam provocantibus, exaltet dexteram deprimentium Nos, & lætificet inimicos noſtros. Dei itaque Filium, per quem abundat conſolatio noſtra, novo charitatis, omniumque virtutum ardore, ac ſtudiis vehementioribus obſecremus, ut quos ad amplificandam ſui Nominis gloriam, ſuæque intemeratæ Genitricis cultum propagandum largitus eſt triumphos, novis in dies incrementis adaugeat, ac Imperatorem Electum Orthodoxæ Fidei cauſam fortiter, & feliciter agentem, nec non cæteros Chriſtianos Principes Machometicæ ſuperſtitionis debellatores ſuo numine tueatur; atque in manu potenti, & brachio excelſo ad trophæum Crucis ſuæ barbaris arcibus inferendum, eat ante illos, ac portas æreas conterat, & vectes ferreos confringat: diſſipet verò gentes, quæ bella voluerunt, ut Sancta noſtra conculcarent, tradatque illas in opprobrium ſempiternum.

IN



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 15. Martii 1717.

ARGUMENTUM.

Creat S. R. E. Cardinalem Gibertum Borromeum Patriarcham Antiochenum, Epiſcopum Novarienſem, & Pontificii Cubiculi Præfectum.

VENERABILES FRATRES.

D majorem Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus, ex duobus Cardinalibus, qui ad Fraternitatum Veſtrarum numerum complendum, nunc deſunt, creare intendimus unum, videlicet: Venerabilem Fratrem Gibertum Borromeum Patriarcham Antiochenum, Epiſcopum Novarienſem, ac Cubiculi noſtri Præfectum, inſignibus ſanè ſuæ gentis Cardinalibus, qui ampliſſimo Veſtro cœtui maximo ornamento fuerunt, non tam morum innocentiâ, quàm aliis ſacro Præſule dignis virtutibus æmulantem. LXXV.

Quid Vobis videtur?

Au-

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra creamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Gibertum Borromeum Patriarcham Antiochenum, & Epiſcopum Novarienſem, cum clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 12. Aprilis 1717.

ARGUMENTUM.

Transfert à Legatione Urbini ad Legationem Romandiolæ D. Cardinalem Joannem Antonium de Via; & declarat Bononiæ de Latere Legatum D. Cardinalem Curtium Origum.

VENERABILES FRATRES:



Quatuor, & ultra menſibus lapſum eſt tempus, ad quod Legationem Romandiolæ demandavimus Dilecto Filio Noſtro Ulyſſi Joſepho S. R. E. Cardinali Gozzadino, qui eam pari cum juſtitiæ, & prudentiæ laude ſuſtinuit. Ad eamdem nunc Legationem transferre intendimus à Legatione Urbini Dilectum pariter Filium Noſtrum Joannem Antonium ejuſdem S. R. E. Cardinalem de Via, qui hanc Urbini Legationem non quidem à multo tempore, ſed multa cum laude adminiſtrat. LXXVI.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra transferimus à Legatione Urbini ad Legationem Romandiolæ præfatum Cardinalem de Via ad triennium, cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

La-

Labitur itidem triennium, ad quod Legationem Bononienſem commiſimus Dilecto Filio Noſtro Auguſtino S. R. E. Cardinali Cuſano, qui eam ſedulò, ac fideliter exercuit. Eidem propterea Legationi præficere nunc intendimus Dilectum pariter Filium Noſtrum Curtium ejuſdem S. R. E. Cardinalem Origum, de cujus fide, doctrina, & prudentia plurimùm in Domino confidimus.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra declaramus, & deputamus noſtrum, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legatum Bononiæ præfatum Cardinalem Origum ad triennium, cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 12. Julii 1717.

ARGUMENTUM.

Quæ Rex Catholicus egerat, ut in ejus Regnis Apoſtolicæ Sedis Authoritas priſtinum in ſtatum reſtitueretur, exponit, ac deinde Abbatem Julium Alberonum, cujus opera præfatus Rex in graviſſimo hoc negotio uſus fuerat, S. *R. E. Cardinalem creat unà cum alio, quem in pectore reſervat.*

VENERABILES FRATRES.

QUæ, & quanta ab octo, & amplius annis in Hiſpaniarum Regnis non minùs adversùs ſanctiora quævis Eccleſiæ Jura, & libertates, quàm adversùs noſtram, & Apoſtolicæ Sedis dignitatem, ac juriſdictionem perpetrata fuerint, ſatis Vobis comperta ſunt, & nota. Nota itidem Vobis ſunt, & comperta quæ, & quanta viciſſim à Nobis acta fuerint, ut ibidem Eccleſiæ, ac Sedis præfatarum indemnitati auctoritate noſtra conſuleremus, eoſque inſuper, qui utramque læſerant, ad illatas utrique injurias convenienter ſarciendas adduceremus. Cuncta hæc propterea Vobis, qui illa benè noſtis, ſingillatim recenſere prætermit- LXXVII.

timus: nunc præſertim, quando divinæ bonitati placuit, ut his tandem in rebus poſſimus Vobis hodie lætiora nunciare. Nuper ſcilicet Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, inclinante Domino cor ejus ad faciendas juſtificationes ſuas, pro eo, quo ſe teneri declaravit, Eccleſiæ jura tuendi ſingulari ſtudio, diſertè mandavit, ut quibuſcumque ordinationibus, ſeu Decretis tam ab ipſo, quàm ab ejus Adminiſtris aliàs in contrarium editis, minimè refragantibus, vetitum jamdudum Hiſpanæ Nationi cum hac Romana Curia commercium prorsùs in integrum reſtituatur: quæcumque prætereà Apoſtolicæ literæ ſublatis impedimentis debitæ, ut priùs, executioni de cætero demandentur: Noſter itidem, & hujus Sanctæ Sedis in illis Regnis Nuncius, ejuſque Tribunal, Miniſtri, & Officiales quilibet ad prærogativas, honores, facultates, ac juriſdictiones omnes, quibus anteà frui, & potiri conſueverant, ac potiſſimùm ad liberam Spoliorum, & Vacantium in illis partibus Eccleſiarum fructuum ad Cameram Noſtram Apoſtolicam ſpectantium adminiſtrationem plenè redintegrentur; prout re ipſa Venerabilis Frater Pompejus Archiepiſcopus Neocæſareæ, quem noſtrum, & dictæ Sedis Nuncium in eiſdem Regnis deputavimus, jam redintegratus fuit: omnia demùm quibuſcumque in rebus tam ad Eccleſiam, quàm ad Apoſtolicam Sedem pertinentibus in eum, quo erant, ſtatum tam initio Regni ipſius Philippi Regis, quàm tempore cla. me. Caroli Secundi, dum vixit, Hiſpaniarum Regis Catholici ejus Prædeceſſoris penitùs reponantur, & repoſita eſſe intelligantur; ita ut ejuſmodi in rebus id totum, quod tunc ſervabatur, etiam in poſterum ſimiliter ſervetur, ac ſervari debeat. Quam ſanè poſtremam declarationem plurimi faciendam eſſe ad novas quaſcumque Eccleſiaſticæ juriſdictionis, ac Apoſtolicæ authoritatis offenſas cumulatè reparandas nemo eſt, qui poſſit ambigere. Hæc omnia pertractata, acta, geſta, ac tandem ad eum,

quem

quem audiſtis, felicem exitum perducta, & ſtabilita fuerunt enixo potiſſimùm ſtudio Dilecti Filii Abbatis Julii Alberoni, cujus ſcilicet unius operâ præfatus Philippus Rex in ejuſmodi negotiis uſus fuit. Accedit ad ipſius Alberoni commendationem, quod idem hic eſt, qui memorati Philippi Regis juſſu ſedulò curavit, ut anno præterito plurium bellicarum Navium, ac triremium agmen munitiſſimum adornaretur, quod ab eodem Rege rogatu noſtro in auxilium Chriſtianæ Claſſis adversùs Turcas tranſmiſſum fuit; nec ſanè imparem adhibuit curam, ut etiam hoc anno à prædicto Rege in eumdem finem mitteretur aliud validius ſexdecim bellicarum Navium ſubſidium, quod omnibus neceſſariis optimè inſtructum è Portu Gadicenſi jam ſolviſſe nuperrimè accepimus. Æquum propterea exiſtimamus præſertim, ut noſtram erga Regem, qui Nobis, & Eccleſiæ ſatisfacere non erubuit, paternam charitatem luculento aliquo teſtimonio comprobemus, Virum hunc ei gratum, ſimulque de Apoſtolica Sede, ac de publica cauſa præmiſſis nominibus benè meritum Fraternitatum Veſtrarum numero adſcribere: ut alacriùs ad alia, & quidem majora in poſterum peragenda, quæ Chriſtianæ Reipublicæ, & Catholicæ Eccleſiæ læta eſſe poſſint, & utilia, tam Rex ipſe, quàm idem ejus Miniſter Alberonus ampliſſimo hoc Pontificiæ largitatis munere vehementiùs inflammentur. Prætereà ut Fraternitatum Veſtrarum numerus compleatur, & ſic completus, quemadmodum Vobis intimo paterni noſtri cordis affectu à Domino apprecamur, cum proſpera, ac diuturna omnium Veſtrum incolumitate ad plurimos annos integer perſeveret, creare intendimus etiam alium Cardinalem, qui ad ejuſmodi numerum complendum in præſenti deeſt: illum tamen rationabilibus ex cauſis volumus in pectore reſervare.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra creamus S. R. E. Cardinalem Julium Alberonum, ac alium, quem in pectore reſervamus, quovis loco, & tempore arbitrio noſtro declarandum cum clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 1. Octobris 1717.

ARGUMENTUM.

Novam de Turcis relatam in Hungaria victoriam, & Albæ Græcæ deditionem DD. Cardinalibus significat. Cappellam in Ecclesia S. Mariæ super Minervam pro gratiarum actione, & justa Christianæ pietatis officia in Pontificio Sacello pro Defunctis tam in Hungarica Acie, quàm in Navalibus ad Orientem præliis indicit.

VENERABILES FRATRES:

Estis recurrentibus diebus Glorioſiſſimæ Lxxviii
Cœlorum Reginæ dicatis, cujus auſpiciis ſuperiori anno ampliſſimos de Turcarum Tyranno triumphos Chriſtiana Religio deportavit, plenior hoc anno integratus eſt Nobis curſus lætitiæ, & felicitatis; Ita ſcilicet anniverſaria Magnæ Dominæ celebritas rediit, ut anniverſarias itidem Sacroſanctæ Eccleſiæ victorias afferret, converſoque anni circulo novas Nos de eodem hoſte immaniſſimo palmas, tamquam tempeſtivos Virginei præſidii fructus colligeremus. Hæc profectò jucundiſſima recordatio animum noſtrum

ſtrum incredibili voluptate perfuderat, cum ſub finem præteriti Menſis Auguſti, lætiſſimi ex Hungaria nuntii fuſas primùm ad Albam Græcam Turcarum copias, mox Urbem ipſam à Cæſareis Militibus ſubactam eſſe ſignificarunt. Cùm verò ipſemet Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Carolus Romanotum Rex in Imperatorem Electus, per Dilectum Filium Nobilem Virum Joannem Vvenceslaum Comitem de Gallas ſuum apud Nos, & hanc Sanctam Sedem Oratorem, de iiſdem feliciſſimis armorum ſuorum ſucceſſibus certiores Nos fecerit, Vobiſcum etiam ex hoc loco lætitiam hanc noſtram communicandam eſſe cenſuimus: ut conjunctis gaudiis narrantes laudes Domini, celebremus mirabilia ejus, quæ fecit, prodigia ejus, & judicia oris ejus. Ac ſanè qui totam rerum geſtarum rationem perpenderit, inter præclara opera dexteræ Excelſi partæ nuper victoriæ felicitatem recenſere non dubitabit. Quantum enim in diſcrimen res noſtræ adductæ fuerint, & quàm levi momento belli fortuna penderet, nemo ex Vobis eſt, qui ignoret, Albam Græcam nimirùm naturâ, ſitu, mœnibus, operibuſque validiſſimè communitam, nec tam militari præſidio, quàm juſto propè exercitu firmatam ita obſidebant Chriſtiani, ut ſimul ipſi innumeris Barbarorum copiis undique obſiderentur; quæ multitudine exultantes, ac præteritarum cladium memoria efferatæ potiùs, quàm fractæ; inaudita temeritate, ut plurimum literæ nunciabant, Chriſtianorum vires parvi admodùm facere præſeferebant. Animum proindè noſtrum non levis formido concuſſerat, nè, ſi quid ſecùs eveniret, ſuperiorum victoriarum fructus interire poſſet, Chriſtianiſque armis, ac terris graviſſima pericula imminerent. Verùm trepidus hic rerum ſtatus tamdiù perduravit, donec illuceſcente die Beatiſſimæ Virginis in Cœlum Aſſumptæ triumphis conſecrato, mirifica periculorum converſio facta fuit, & nova rerum facies emerſit; Illo ſiquidem fauſtiſſimo die, quo

Nos

Nos, publicis indictis precibus, ad Montem Domini aſcendimus, ac ferventioribus votis in Liberiana Baſilica ejuſdem intemeratæ Matris patrocinium Vobiſcum imploravimus: propoſitâ inſuper peccatorum indulgentia iis, qui per octo conſequentes dies eamdem Baſilicam adiiſſent, Patrem Miſericordiarum per Immaculatæ Virginis ſuffragia exoraturi; Dilectus Filius Nobilis Vir Princeps Eugenius à Sabaudia, Cæſarei Exercitus Dux inclytus, novâ indutus virtute ex alto, militumque ſuorum alacritatem conſpicatus, moræ diuturnioris pertæſus, & barbaricæ arrogantiæ impatiens, tacitè copias è vallo educere conſtituit, ut hoſtem ferocientem intrà aggeres, & foſſas ſuas improviſus adoriretur. Strenuo autem conſilio divinitus immiſſo divina deinceps beneficia obſecundarunt; Nebula enim tam opportunè incedentium Chriſtianorum agmen obtexit, ut priùs expugnari caſtra, quàm hoſtem adventare Barbari intelligerent; tamquam ſcilicet renovatis Iſraelitici temporis ſignis (quod ſinè lætitiæ lacrymis commemorare non poſſumus) Beatiſſima Virgo, quam in antiquo fœdere Nebulæ typus adumbraverat, perſpicuo inditio opem prætendens, ſuos ſe milites protegere teſtaretur, qua illi Duce non tam ad pugnam, quàm ad certam victoriam properarent. Adhùc tamen Barbari ad plures certaminis horas acriter reſtitere, donec ultra vigintiquinque millibus cæſis, captiſque caſtris, præcipitem in fugam verſi, ingentem apparatum ex vaſtiſſimis Provinciis ſumma vi contractum, bellica tormenta quadraginta, & amplius ſupra centum, vexilla plurima, commeatum, opeſque penè omnes Cæſareis copiis diripienda reliquerunt. Tum altero poſt die Alba Græca, ſublato deditionis ſigno, imploratâque Victoris fide, in Chriſtianorum poteſtatem redacta eſt. Quis igitur, VENERABILES FRATRES, paribus grati animi ſenſibus, verbiſque in tanta ſecundarum rerum proſperitate loquetur potentias Domini, auditas faciet

om-

omnes laudes ejus? Cùm enim perfidæ gentes in ſua feritate confiderent, & acceptas hactenus calamitates reparare niterentur, multiplicata eſt in eis ruina; Nobis verò divinam opem per Beatam Virginem, auxilium Chriſtianorum, invocantibus, geminata lætitia eſt, immenſamque Turcarum aciem aut cæſam, aut fugatam, captamque munitiſſimam Arcem uno propè tempore accepimus; neque id profectò tanta cum Chriſtianorum militum jactura contigit, quantam in ſola Urbe expugnanda futuram conjiciebamus. Agamus propterea Omnipotenti Deo gratias, quas poſſumus maximas, neque eas privatim reddidiſſe ſit ſatis, ſed publicis etiam officiis ampliſſimas perſolvamus. Quamobrem proximâ die Dominica, quæ erit prima inchoati Menſis Octobris, qua ſcilicet Feſtum Roſarii, ſeu Pſalterii ejuſdem Sacratiſſimæ Virginis celebrari conſuevit, quæque triumphalem ſuperiorum temporum memoriam, ac partam olim ſub iiſdem auſpiciis ad Echinadas Inſulas inſignem adversùs eoſdem Turcas Chriſtianorum victoriam repræſentat, ad Eccleſiam S. Mariæ ſuper Minervam convenientes, ſolemni ritu gratiarum actionem Altiſſimo Domino celebrabimus, qui ad tuendam Eccleſiam ſuam, & amplificandam ſuæ Genitricis gloriam, fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Eidem præterea acceptum referemus, quod etiam maritimis præliis Chriſtiana Claſſis tam ſtrenuè hoc anno Turcicam exceperit, ut nihil in Militibus Chriſti deſiderari potuerit, aut alacritatis ad dimicandum, aut fortitudinis ad reſiſtendum; quorum ſcilicet virtute immanes hoſtium conatus depulſi ſunt, qui Chriſtianis Inſulis, Terriſque bellum, & perniciem inferre moliebantur. Tertiâ autem feriâ ſequentis hebdomadæ in Pontificio noſtro Sacello juſta Chriſtianæ Religionis officia perſolvemus propugnatoribus Chriſti, qui fortiter decertantes tam in Hungarica acie, quàm in Navalibus ad Orientem conflictibus, pro Dei cauſa gloriosè occubuerunt. Cæterùm quia fecit Dominus

po-

potentiam in brachio ſuo, ut ſinè timore ſerviamus illi, ſtudeamus VENERABILES FRATRES, in ſanctitate, & juſtitia divinorum beneficiorum fructum augere, ac Religionis pugiles novis obſecrationum noſtrarum ſubſidiis confirmemus; ne illi ad contemnendam mortem, ac fundendum pro re Chriſtiana ſanguinem alacriores eſſe videantur, quàm Nos ad fundendas preces, & cœleſte præſidium pugnantibus implorandum; præſertim verò tam luculentis eventibus edocti, præſentiſſimum B. Virginis patrocinium piis exercitationibus, ſtudiis, votiſque magis nobis in dies conciliare ſatagamus: eamque jugiter obſecremus, ut omnia bellicæ hujus felicitatis impedimenta amoliatur, nec adverſi quidquam incidere ſinat, quo ſecundus contra Turcas Chriſtianorum Armorum curſus interſiſtat, aut retardetur; Quam in rem cùm operam, & ſolicitudinem omnem conferre hactenùs non omiſerimus, nec in poſterum omiſſuri ſimus, decet conatus noſtros communibus etiam veſtris apud Deum precibus adjuvari; ut Provincias olim florentiſſimas ab avita Religione, & Chriſtianis ſacris abſtractas, extincta tandem Barbarorum tyrannide, & ſuperſtitione deletâ Chriſto redditas, atque in priſtinam Euangelii libertatem revocatas Authori Deo Vobiſcum aliquando gratulemur.

IN EODEM CONSISTORIO.

Poſt propoſitiones, & præconia Eccleſiarum declarat S. R. E. Cardinalem Emericum Cſaky Archiepiſcopum Colocenſem, quem in alio Conſiſtorio habito die 12. Julii ejuſdem anni creaverat, & in pectore reſervaverat.

VENERABILES FRATRES.

UT Hungaricis Victoriis plenior hac die lætitiæ cumulus addatur, ad gloriam Omnipotentis Dei, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus, palàm hodie evulgare, ac LXXIX

declarare intendimus illum Cardinalem, quem in Conſiſtorio ſecreto die 12. præteriti Menſis Julii habito creavimus, & in pectore reſervavimus, videlicet Venerabilem Fratrem Emericum Cſaky Archiepiſcopum Colocenſem; congruum enim, ac valdè opportunum exiſtimamus hoc tempore Hungaricum Præſulem non tam generis claritate, quàm virtutibus præſtantem, ampliſſimo Ordini veſtro adſcribere, ut tam ipſe, quàm alii illius Apoſtolici Regni Epiſcopi ad agrum ſibi creditum excolendum nunc maximè alacriores reddantur, cum Meſſis amplior majorem Operariorum ſedulitatem exquirit: ipſumque Regnum ſpeciali quodam jure huic Sanctæ Sedi addictum, quippe quod ei jamdudum à Sancto Stephano Rege oblatum fuerat, novo hoc, & præclaro Pontificiæ largitatis argumento lætari valeat.

Quid Vobis videtur.

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra declaramus S. R. E. Presbyterum Cardinalem Emericum Cſaky Archiepiſcopum Colocenſem cum derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Singulariter in Spe Constituta me. Ps.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 11. Octobris 1717.

ARGUMENTUM.

Abjurationem Lutheranæ hæreſis à Friderico Auguſto Principe Regio Poloniæ, & Electorali Saxoniæ ante quinquennium Bononiæ peractam DD. Cardinalibus ſignificat, & plures illius literas ea de re ad Sanctitatem Suam datas recitari mandat.

VENERABILES FRATRES:

EX quo ſupremum hoc Catholicæ Eccleſiæ culmen non minùs inviti, quàm immerentes, Deo ſic diſponente, conſcendimus, nulla Nobis antiquior cura fuit, quàm ut Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Auguſti Poloniæ Regis Natus, in eâ, qua tunc erat, tenerrimâ ætate aures præbere aſſueſceret ſermonibus Domini, quorum declaratio illuminat, & intellectum dat parvulis: adeôque Catholicis inſtitutis in Romanæ Religionis profeſſione educaretur; Neque enim aliter magnas illas ſpes, quas olim Sancta Dei Eccleſia in ejuſdem Auguſti Regis ad eam reverſione collocaverat, impleri poſſe compertum habebamus. Nullas propterea Paſtoralis ſolicitudinis partes, nullumque LXXX

officiorum genus prætermiſimus, quo Regium Genitoris animum ad noſtra de Pueri Principis educatione conſilia impigrè ſuſcipienda traduceremus. Verùm, tametſi ille pro ea, qua præditus eſt, animi docilitate pronis quidem ſtudiis voluntati noſtræ obſequi optaret: humani tamen generis nequiſſimus hoſtis, & ſapientia carnis, quæ inimica eſt Deo, aſſiduis conatibus noſtris acriter obſiſtebant. Hinc nimirum occurſabant Poloniæ res turbulentiſſimæ, quæ cum Regnum illud miſerè dilacerarent, Regem deterrebant, ne Acatholicorum animos exulceraret, quorum ope, fide, & ſtudio maximè nitebatur. Inde Principis Mater, & Avia hæreticis erroribus innutritæ, nè ab infelici communione, complexibuſque ſuis Princeps ipſe abſtraheretur, pertinaciter obluctabantur; ut alia plurima ſilentio prætereamus, quæ fuſiorem hiſtoriam adæquarent. Divino tamen præſidio freti, ſpem perficiendæ rei numquam abjecimus, neque ullis difficultatibus depulſi ab incœpto deſtitimus. Unde cum Dilectum Filium Noſtrum Annibalem S.R.E. Cardinalem Albanum noſtrum ſecundùm carnem ex Fratre Nepotem ante octo annos in Germaniam legavimus, inter præcipua, & potiora mandata arduam hujuſce negotii provinciam eidem dedimus: Deoque largiente ita illi res feliciter ceſſit, ut præter alia multa benevolæ voluntatis argumenta ſibi à Rege delata, illudque potiſſimùm, quod ipſius Cardinalis rogatu Eccleſiam in Civitate Lipſiæ ad uſum Catholicorum in illâ degentium aperiri juſſerit: ab eo inſuper literas ad Nos datas obtinuerit, quibus Regiam ſuam fidem obſtrinxit daturum ſe quamprimùm Principi Filio Inſtitutores, & Familiares Orthodoxos: eumque jam non amplius Puerum, ut ab hæreticorum conſuetudine, & contagione procul abeſſet, ac cum integra libertate animæ ſuæ ſaluti conſulere poſſet, ad peragrandas Catholicas Provincias dimiſſurum. Et ſanè cum fidem Nobis ſuam Rex liberaſſet, optatiſſimum tandem tam

no-

novæ inſtitutionis, quàm itineris fructum percepimus; Cùm enim Bononiam Adoleſcens Princeps perveniſſet, in manibus Dilecti Filii Joannis Baptiſtæ Salerni Societatis Jeſu Presbyteri, neceſſariis ad id facultatibus per Nos inſtructi (cujus fidem, ſtudium, ſedulitatem, & prudentiam hac in re ſapientiſſimè gerendâ ſatis commendare non poſſumus) coram Dilecto itidem Filio Noſtro Laurentio S. R. E. Cardinali Caſono tunc Bononiæ noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Legato, ac uno ex Cardinalibus in totâ Republicâ Chriſtianâ contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus ab eadem Sede ſpecialiter deputatis, die XXVII. Novembris anni milleſimi ſeptingenteſimi duodecimi, poſt maturam, ac diuturnam plurium menſium deliberationem, poſt prævifum ingruentium ſibi domi, foriſque moleſtiarum non levem cumulum: ſolâ agnitæ veritatis ratione excitatus, ſolo æternæ ſuæ ſalutis deſiderio incenſus, Lutheranæ hæreſeos, in quâ natus, & educatus fuerat, ejuravit errores, literaſque ſuæ erga Nos, & hanc Sanctam Sedem obedientiæ, gratique erga Dei vocantis miſericordiam animi teſtes ad Nos dedit; prout ex authentico Abjurationis teſtimonio, ipſiuſque Principis literis ad Nos tunc datis mox legendis pleniùs percipietis.

Hìc ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Battellus Archiepiſcopus Amaſenus, Apoſtolicorum Brevium ad Principes à Secretis, legitque primùm Abjurationem Lutheranæ hæreſis à Principe Regio Poloniæ, & Electorali Saxoniæ factam in manibus R. P. Salerni Societatis Jeſu Presbyteri Bononiæ die 27. Novembris 1712., & mox epiſtolam ab ipſomet Principe ad Sanctiſſimum de eodem argumento perſcriptam ibidem die 14. Decembris ejuſdem anni; quibus lectis Sua Sanctitas ita Orationem proſecuta fuit.

Cæterum humanæ illæ rationes, quæ Dilectiſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Fridericum Auguſtum Regium Poloniæ,

niæ, ac Electoralem Saxoniæ Principem erroribus mancipatum tamdiù detinuerant, eædem prohibuerunt, ne per integrum ferè quinquennium glorioſiſſimi facti notitia vulgaretur. Intereà verò, & ſi occultè, ſyncerè tamen Ipſe Catholicam Religionem profeſſus eſt; non ſolùm enim à profanis hæreticorum ritibus prorſus abſtinuit, ſed etiam Sacroſancto Miſſæ Sacrificio quotidiè interfuit, Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ crebrò percepit, aliaque dedit veræ pietatis, & religionis documenta, quæ Romanæ Eccleſiæ Filium apprimè decent. Sæpè inſuper Nobis per literas teſtatus fuit gravatiſſimè ſe ferre impoſitam occultandæ Religionis neceſſitatem: nec ſibi gratius quidquam futurum, quàm ut ad hanc almam Urbem accedere poſſet, & coram Nobis publica edere Romanæ communionis teſtimonia. Qua de re, cùm plurimas ejus epiſtolas ex variis, in quibus morabatur, Civitatibus ad Nos tranſmiſſas acceperimus, paucas ſelegimus, quas nunc audietis.

Lectæ hìc fuerunt à prædicto R. P. D. Battello ſeptem aliæ Epiſtolæ à memorato Principe ad Sanctitatem Suam datæ: prima nempe Florentiæ die 14. *Aprilis* 1713., *ſecunda Veronæ die* 30. *Octobris ejuſdem anni, tertia Pariſiis die* 24. *Septembris* 1714., *quarta Venetiis die* 2. *Maji* 1716., *quinta ibidem die* 3. *Octobris ejuſdem Anni, ſexta ibidem die* 5. *Maji* 1717., *ſeptima ibidem die* 17. *Julii ejuſdem anni; quibus perlectis Sua Sanctitas ita proſecuta fuit.*

Placuit tandem Patri Miſericordiarum, tam noſtris, quàm ipſius optimi Principis precibus clementer annuere, eaque impedimenta removere, quæ tam diuturnam utriuſque noſtrum votis moram injecerant. Ille ſiquidem à Patre Rege poteſtatem aliquandò obtinuit, ut Catholicam Religionem, quam per quinque hactenùs annos occultè coluerat, palàm profiteretur, atque exerceret. Hac proinde de re confeſtim ad Nos literas dedit, obſecravitque, ut quod jam Ipſe publicis

no-

noſtræ Religionis officiis Viennæ in Auſtria, in ipſa Cæſareæ Aulæ celebritate, totiuſque Germaniæ luce, vulgare parabat, noſtræ ſimul vocis præconio ad divinæ bonitatis laudem, & catholicæ Eccleſiæ lætitiam, in hac etiam veræ Religionis Arce ſinè morâ promulgaretur, quemadmodum ex iiſdem literis per celerem curſorem ad Nos noviſſimè allatis intelligetis. *Hîc perlecta fuit ab eodem R. P. D. Battello alia Epiſtola à prædicto Principe ad Sanctitatem Suam conſcripta, ac per certum curſorem miſſa ex oppido* San Pelten *die* 27. *Septembris* 1717. *cujus expleta lectione Sanctiſſimus ita Orationem abſolvit.*

Videt unuſquiſque Veſtrum, VENERABILES FRATRES, quantis Nos divitiis miſericordiæ ſuæ in hoc Catholicæ veritatis triumpho locupletaverit Deus, & quàm opportunè bellicorum ſucceſſuum, de quibus adeò lætati ſumus, felicitati Apoſtolicæ doctrinæ victorias inſeruerit. Cantemus igitur Domino canticum novum, quia in conſpectu Gentium revelavit juſtitiam ſuam, debitaſque ei pro collatis donis gratias humiliter agentes, eumdem jugiter obſecremus, ut qui jam ex clariſſima Domo non ſolum Poloniæ Regem, & Principem ejus Filium, ſed nuper etiam Dilecti Filii Noſtri Chriſtiani Auguſti Cardinalis de Saxoniâ germanum Fratrem natu majorem, ejuſque ex altero Fratre Nepotem ad agnitionem veritatis adduxit, reliquos etiam ex eadem Domo Principes, qui ſuperſunt, à vera Chriſti Eccleſiâ, & ſemitâ ſalutis adhuc abrepti, vocare dignetur in admirabile lumen ſuum, quò ii omnes, qui Saxonicam Domum in hæreſi tuendâ olim ſecuti ſunt errantem, aliquandò ſequantur reſipiſcentem, ac Sacroſanctâ Religione illuſtribus eorum exemplis propagata, major ſit gloria domus iſtius noviſſimæ plus, quàm primæ. Ceterum cum ad uberiores gratias pro Hungaricis Victoriis Deo agendas conceſsâ peccatorum Indulgentiâ quoſcumque Chriſtifideles ad Eccleſiam Beatæ Mariæ de Animâ Nationis Theutonicæ ſive heſterna, ſive hodierna

die

die viſitandam excitaverimus, par eſt, ut Nos quoque Omnipotenti Deo utramque ibidem Catholicæ Religionis tam de Mahometicâ ſuperſtitione, quàm de hæretica pravitate victoriam gratulemur: geminumque triumphum ad univerſæ Eccleſiæ gloriam, prædictæque Nationis Theutonicæ utilitatem, ac decus potiſſimum redundantem conjunctis hodie gratiarum actionibus celebremus. Reliquum eſt, VENERABILES FRATRES, ut non ſolùm annunciemus opera Dei in exultatione, ſed ad implendam Sanctorum gaudiorum perſeverantiam exhibeamus Noſmetipſos ſicut Dei Miniſtros in charitate non fictâ, in Spiritu Sancto, in virtute Dei per arma juſtitiæ, quæ ſola poſſunt deſtruere omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & ab Eccleſiæ finibus errores omnes, & calamitates arcere.



Suspirabam ad te: legatus non ferro aliquo sed ferreâ meâ voluntate. Aug. Conf.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 6. Decembris 1717.

ARGUMENTUM.

Plenariam Indulgentiam in formâ Jubilei indicit ad divinam opem in periculis, quæ Italicæ tranquillitati imminere prospicit, implorandam.

VENERABILES FRATRES.

Septemdecim jam lapsi sunt anni, magnum profectò ævi mortalis spatium, ex quo nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, placuit Divinæ bonitati, cui proprium est infirma mundi eligere, humilitatem nostram ad supremi Apostolatus fastigium evocare. Quantis interea, & quàm gravibus malorum procellis agitati fuerimus, optimè nostis, quippequi in partem solicitudinis nostræ vocati, magnam etiam calamitatum nostrarum partem sustinuistis. Lætiora quidem in posterum sperare Nos fecerant præclaræ illæ victoriæ, quas Dominus Exercituum Christianis armis adversùs Turcas noviſſimè largitus est: Opus sanè dexteræ Excelsi, qui fecit virtutem, & percussit inimicum. Verùm non minùs ea, quæ imminent Italicæ tranquillitati, pericula, LXXXI

quàm nova in dies, ac ſemper acerbiora, quæ Eccleſiaſticæ libertati, Pontificiæ authoritati, imò etiam ipſimet Orthodoxæ Religioni infliguntur, vulnera ſatis ſuperque Nos admonent nondum oblitum eſſe Dominum delicta noſtra. Idcircò divinam indignationem placaturi ad veſtras in primis, deinde ad reliquorum hujus Almæ Urbis Chriſtifidelium preces confugere decrevimus, concedendo, ut id ipſum alacriùs peragatur, plenariam Indulgentiam in forma Jubilei iis omnibus, qui quarta, & ſexta feriis, ac Sabbato proximè venturæ hebdomadæ, quæ erit tertia Adventus, jejunaverint, nec non Eccleſias, ſeu Baſilicas Sancti Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris, vel earum aliquam intrà ſpatium ejuſdem hebdomadæ ſaltem ſemel viſitaverint, & ibidem oraverint, & peccata ſua confeſſi SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Dominica die immediatè ſequenti, vel alia die intrà eamdem hebdomadam reverenter ſuſceperint, pauperibuſque aliquam eleemoſynam, prout ſua cuilibet pietas ſuaſerit, erogaverint. Hunc ipſum ſubinde cœleſtem theſaurum ad reliquos etiam Chriſtifideles Italiæ univerſæ, & Inſularum illi adjacentium extendemus. Agite igitur, VENERABILES FRATRES, opportuno hoc, atque acceptabili tempore Dominici Adventus Deum Optimum Maximum, qui eſt multæ miſericordiæ omnibus invocantibus Eum, jugiter obſecrate, ut confortet Nos in potentia virtutis ſuæ, effundatque ſuper Nos ſpiritum conſilii, & fortitudinis, quo inter tot rerum, ac temporum difficultates, & quæ agenda ſunt, videamus, & ad implenda, quæ viderimus, convaleſcamus. Aderit Nobis Dominus, aderit Eccleſiæ, aderit cauſæ ſuæ, ſi Nos officium noſtrum impleverimus, ſi Vos veſtro non defueritis.

IN



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 10. Januarii 1718.

ARGUMENTUM.

Ferrariæ de Latere Legatum declarat D. Cardinalem Joannem Patritium.

VENERABILES FRATRES.

Errarienſem Legationem, quam Dilectus Filius Noſter Julius S. R. E. Cardinalis Piazza longè ultra triennium, ad quod ei illa à Nobis demandata fuerat, pari cum juſtitiæ, ac prudentiæ laude adminiſtravit, committere nunc intendimus Dilecto pariter Filio Noſtro Joanni ejuſdem S. R. E. Cardinali Patritio; de cujus fide, doctrinâ, rerum uſu, probatâque in graviſſimis ab eo laudabiliter geſtis muneribus integritate plurimùm in Domino confidimus. LXXXII.

Quid Vobis videtur.

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra declaramus, ac deputamus noſtrum, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legatum Ferrariæ præfatum Cardinalem Patritium ad triennium, cum facultatibus ſolitis, & clauſulis opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 15. Martii 1719.

ARGUMENTUM.

Matrimonii inter Fridericum Auguſtum Electoralem Saxoniæ, Regiumque Poloniæ Principem, & Mariam Archiduciſſam Auſtriæ cla. me. Joſephi Imperatoris Filiam natu majorem ſtabiliti nuncium DD. Cardinalibus communicat.

VENERABILES FRATRES.

LXXXIII

Eptemdecim jam lapſi ſunt menſes, ex quo Vobis, magno cum animi noſtri gaudio ex hoc loco nunciavimus Dilectiſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Fridericum Auguſtum Electoralem Saxoniæ, & Regium Poloniæ Principem Catholicam Religionem, quam longè prius, nempe ante quinquennium, Lutheranis erroribus ejuratis, per Dei gratiam ſuſceperat, ac ſubindè ſyncerè quidem, & piè, ſed multis de cauſis occultè coluerat, in Cæſareæ tandem Aulæ frequentia, ac celebritate publicè profeſſum fuiſſe. Nec ſanè ex animo noſtro unquam excident effuſiſſimæ illæ Fraternitatum Veſtrarum gratulationes, quibus lætiſſimum nuncium, Nobis promulgantibus, excepiſtis:

Pro-

Probè enim Nobiſcum intelligebatis, quanta fieret veræ Chriſti Eccleſiæ, & Catholicis rationibus ex illius Principis reſipiſcentiâ amplitudinis, & ſecuritatis acceſſio. Quis autem Veſtrum non ſimul etiam fore tunc prævidit, ut Apoſtolicæ doctrinæ hoſtes, tanto partium ſuarum amiſſo præſidio, veluti graviſſimo accepto vulnere, furentes infremerent. Et quidem explicari vix poteſt quos conatus, quas artes, quas minas adhibuerint, ut peſſimæ cauſæ conſulerent, ac Principem ad Petri Ovile reverſum, ejuſque Genitorem, Chariſſimum ſcilicet in Chriſto Filium Noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem à Rei Catholicæ tuendæ ſtudio deterrerent. Nequaquam propterea Nos concidimus animo, ſed de illius ope confiſi, adversùs quem non eſt conſilium, & populi meditantur inania, in eam potiſſimum rem incumbendum, omnemque operam conferendam eſſe cenſuimus, ut cum jam de Uxore eidem Electorali Principi adjungendâ cogitaretur, prævalido aliquo opportunoque Matrimonii fœdere adversùs inimicorum inſidias, & impetus Apoſtolica Religio communiretur; quod non ſolùm potentiſſimi Principis affinitate de futuris Catholicis Saxoniæ Ditionis hæredibus ſpes noſtras confirmaret, verùm etiam ab omni in poſterum novandarum rerum molimine Acatholicos penitùs depelleret. Idcircò per Dilectum Filium Religioſum Virum Joannem Baptiſtam Salernum Societatis Jeſu Presbyterum, cujus fidem, dexteritatem, & prudentiam in memorato Principe ad Chriſti Eccleſiam revocando feliciter impenſam experti eramus, apud Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Carolum Romanorum Regem in Imperatorem Electum aſſiduis officiis, precibus, ac ſuaſionibus inſtitimus, ut ex duabus cla. me. Joſephi, dum vixit, eorumdem Romanorum Regis ſimiliter in Imperatorem Electi Fratris, ac Prædeceſſoris ſui Filiabus alterutram ipſi Electorali Principi in Matrimonium collocari vellet; Quæ ſanè res, dum in Cæſarea deliberatione diù,

mul-

multumque verſaretur, tametſi præfatus Religioſus Vir nec mandatis noſtris, nec zelo ſuo, nec negotii gravitati ulla ex parte umquam defuerit, diuturnâ tamen ſolicitudine curas noſtras exercuit; Aſt Patre tandem Miſericordiarum clementiæ ſuæ aurem ad preces noſtras inclinante, placuit nuper Cæſari pro eximio illo, quo in Orthodoxæ Religionis amplificationem incenſus eſt, ſtudio, animi ſui ſententiam, cujus præclara erit ſemper, & felix in Eccleſiæ annalibus recordatio, palàm aperire; qua ſcilicet non modò petitioni noſtræ benignè obſecundare voluit, ſed ut pleniùs Poloniæ Regis votis ſatisfaceret, Dilectiſſimam in Chriſto Filiam Noſtram Mariam prædicti Joſephi Regis in Imperatorem electi Filiam natu Majorem eidem Electorali Principi Saxoniæ nuptui ſe locaturum diſertè pollicitus eſt. Quem ſanè optatiſſimum nuncium cum nudius tertius per celerem Curſorem acceperimus, nullâ interjecta morâ, ſingulare hoc Altiſſimi in Eccleſiam ſuam beneficium duximus Vobis ex hoc loco ſignificandum: hortantes Vos, ut Omnipotenti Deo, qui Nos inter graviſſimas curas, quas in hiſce perturbatiſſimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus aſſiduè ſuſtinemus, proſpero hoc Catholicæ Religionis eventu clementer conſolatur, debitas gratiarum actiones Nobiſcum rependatis: omneſque inſimul orationibus inſtantes, ac pietatis operibus, hoc præſertim acceptabili tempore, ferventiùs inſiſtentes, nova ſemper, ac majora Orthodoxæ Fidei incrementa à Divina bonitate impetremus.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 29. Martii 1719.

ARGUMENTUM.

Conſtituit D. Cardinalem Albanum S. R. E. Camerarium loco bo: me: Cardinalis Jo: Baptiſtæ Spinulæ proximè defuncti, cum emolumentorum Sigilli diſmembratione, eorumque in Cameræ Apoſtolicæ beneficium applicatione.

VENERABILES FRATRES.

Vacante nuper officio Camerariatus noſtri, & S. R. E. per obitum bo: me: Jo: Baptiſtæ Cardinalis Spinulæ nuncupati, concedere illud intendimus Dilecto Filio Noſtro Annibali S. Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinali Albano nuncupato, noſtro ſecundùm carnem ex Fratre germano Nepoti ad ejus vitam. Quia tamen inter maximas, quibus jugiter premimur, Paſtoralis muneris noſtri curas, illa etiam nunc eſt, quæ ad graviſſimas Apoſtolici Ærarii anguſtias ea, qua poſſumus, ratione, ſublevandas quotidie Nos urget; ac prætereà benè memores ſumus arctiſſimi illius juramenti, quod de inviolabiliter obſervandâ Conſtitutione moderatoriâ donationum, ac diſtributionis red- LXXXIV

di-

dituum Eccleſiaſticorum in Conſanguineos, vel Affines Romani Pontificis pro tempore exiſtentis à fel. rec. Innocentio Papa XII. Prædeceſſore noſtro editâ, non ſemel præſtitimus: illudque, divinâ adjuvante gratiâ, exactè adeò, ac religiosè uſque ad extremum vitæ noſtræ ſpiritum adimplere cupimus, ut à quovis etiam remoto periculo ejuſmodi juramentum violandi abeſſe velimus; Idcircò Officium Camerariatus ſupradictum eidem Cardinali Albano ita conferre intendimus, ut non modò moderationes, reſtrictiones, ac limitationes, quas idem Innocentius Prædeceſſor noſter, tam per aliam ſuam Conſtitutionem anno Incarnationis Dominicæ 1698. quarto Idus Auguſti Pontificatus ſui anno octavo editam, quàm aliàs quomodocumque hac in re præſcripſit, omninò ſervandæ ſint: eaque potiſſimum fructuum, reddituum, proventuum, Jocalium, obventionum, aliorumque cujuſvis generis emolumentorum quocumque nomine nuncupatorum, & undecumque provenientium diſmembratio, quam dictus Prædeceſſor noſter ab eodem Camerariatus Officio in perpetuum fecit, cum eorum applicatione ad favorem ſive Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, tunc ſuæ, ſive publicæ medicamentorum Officinæ pro pauperibus Urbis inſtitutæ, ſalva prorſus ſit, & eſſe debeat; ſed illa inſuper emolumenta ex Sigillo ejuſdem Officii provenientia, quæ ſola memoratus Prædeceſſor noſter Camerario pro tempore exiſtenti reſervavit, quæque noviſſimè defunctus Cardinalis Spinula uſque ad ſui obitum integrè percepit, eidem Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, quoad dictus Cardinalis Albanus vixerit, & Officium ipſum obtinuerit, in omnibus, & per omnia applicata ſint, & eſſe cenſeantur: adeò ut plenè verum ſit, & eſſe debeat, quod ipſe Cardinalis Albanus Officio hujuſmodi cum omnibus quidem facultatibus, juriſdictionibus, honoribus, ac prærogativis Camerario pro tempore à præfato Prædeceſſore noſtro reſervatis potiri debeat: ſed illud abſque ullo penitùs

emo-

emolumento ſive certo, ſive incerto, ſive ordinario, ſive extraordinario exercere omninò teneatur.

Quid Vobis videtur.

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra Officium Camerariatus noſtri, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ concedimus præfato Annibali Cardinali Albano, eumque in noſtrum, & ejuſdem S. R. E. Camerarium ad ejus vitam creamus, facimus, ac deputamus, non ſolùm cum moderationibus, reſtrictionibus, ac limitationibus à memorato Innocentio XII. Prædeceſſore Noſtro hac in re præſcriptis: ſed etiam addita ad favorem Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, quoad idem Cardinalis Albanus vixerit, & Officium prædictum obtinuerit, diſmembratione, ſeu ſeparatione emolumentorum ex Sigillo officii hujuſmodi provenientium, quæ ſola idem Prædeceſſor noſter Camerario pro tempore reſervaverat, quæque Nos modò eidem Cameræ Apoſtolicæ, durante ipſius Cardinalis Albani vita, ſicut præmittitur, applicamus, cum clauſulis, & derogationibus, quæ in Decreto, ſeu ſchedula Conſiſtoriali, ac in literis deſuper expediendis latiſſimè extendendæ erunt, quas ex nunc approbamus; prout ſimiliter approbamus, ac quatenus opus ſit, confirmamus ea omnia, quæ forſan idem Cardinalis Albanus, ſervata ceteroqui forma præſentis Decreti, hactenus geſſit, ſeu in poſterum uſque ad expeditionem dictarum literarum geret vigore ſpecialis noſtri Chirographi, quod Nos, ne conſuetum negotiorum curſum ob diuturniorem memorati Officii vacationem retardari contingeret, ante quatuor dies ſignavimus cum omnibus clauſulis, conditionibus, & declarationibus in hoc eodem Decreto inſertis, ac inſuper cum retentione omnium, quæ ipſe Cardinalis Albanus obtinet, quam ei denuò nunc concedimus.

In Nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 26. Aprilis 1719.

ARGUMENTUM.

Permittit D. Cardinali Aſtallio optionem Eccleſiarum Oſtienſis, & Veliternenſis cum Decanatu Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii.

VENERABILES FRATRES.

LXXXV.

Atis Vobis notum eſt, atque compertum quæ, & quales occaſione obitus bo: me: Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli Epiſcopi, dum viveret, Oſtienſis, & Veliternenſis, veſtrique Collegii Decani dubitationes emerſerint circa ſenſum Conſtitutionis fel. rec. Pauli PP. IV. Prædeceſſoris noſtri, qua ſancitur Decanatum Collegii prædicti perpetuis futuris temporibus nonniſi ad Epiſcopum Cardinalem Antiquiorem in Romana Curia præſentem, aut ex cauſa publica abſentem, atque extra eamdem Curiam per Romanum Pontificem deſtinatum, devenire poſſe. Ambigebatur ſiquidem à pleriſque, an Conſtitutione hujuſmodi adversùs Cardinales à Curiâ abſentes latâ comprehenderentur, vel potius excluderentur Cardinales promotione antiquiores,

qui

qui incidente ejuſdem Decanatus vacatione ab eadem quidem Curia abfuerint, ſed apud illas Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias reſederint, quibus eos unà cum aliqua ex iis Cathedralibus Eccleſiis, quæ ipſis Cardinalibus antiquioribus pro ſuis titulis, ſeu denominationibus aſſignari ſolent, præeſſe contigerit. Et ſanè ejuſmodi rei ambiguitas, cùm nullis hactenùs hujus Sanctæ Sedis definitionibus diſcuſſa, ac dirempta eſſe videretur, animum noſtrum adduxerat, ut eam expendendam, librandamque demandaremus ſive Dilectis Filiis Rotæ Romanæ Auditoribus, ſive aliis hujus Curiæ Præſulibus integritate, doctrinaque præſtantibus, quorum ſententiis, judiciiſque ſuffragantibus id demum, quod rationi, & æquitati conſentaneum viſum Nobis fuiſſet, decerneremus. Verùm dum in ea deliberatione verſaremur, Venerabilis Frater Noſter Vincentius Maria Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis Urſinus nuncupatus, quem unum, tamquam cæteris ſuis Collegis promotione priorem, tam ad Decanatus Dignitatem, quàm ad prædictas Oſtienſem, & Veliternenſem Eccleſias (memoratâ Pauli IV. Conſtitutione ſepoſita) antiquitatis jura vocabant, ſecum animo reputans rem hanc abſque aliqua contentione tranſigi minimè poſſe, ſuorum primùm in hac eadem Curia negotiorum Geſtori, mox etiam aliis diſertè ſignificavit ſe probè memorem eſſe verborum Apoſtoli Timotheum ſuum admonentis: *Servum Domini non oportet litigare*: ideôque firmiter conſtituiſſe ſuper iſtiuſmodi negotio à quavis concertationis, ſeu litis ſpecie prorsùs abſtinere. Ad hæc non ſolùm datis ad Nos literis ex ſuburbano ſeceſſu S. Paſtoris conſcriptis, ſed coram etiam poſt biduum animi ſui ſententiam Nobis teſtatus eſt, cujus ſumma fuit ſe Beneventanæ Eccleſiæ jamdudum obſtrictum reperiri: Sacri verò Collegii Decano, eidemque Oſtienſi, ac Veliternenſi Epiſcopo multiplices curas, nec levem pro animarum regimine vigilantiam incumbere;

Optare ſe propterea, atque etiam obteſtari, ut quacumque ſui ratione poſthabita Dignitatem Decanatus Cardinali Epiſcopo ex reſidentibus in Romana Curia antiquiori deferre vellemus, eidemque Eccleſiarum Oſtienſis, & Veliternenſis optionem permitteremus: ea tamen adjecta declaratione, ut ſimili in poſterum occurrente Decanatus vacatione, ſalva, & illæſa remanerent, ſi quæ eſſent, jura Cardinalium Epiſcoporum, qui Cardinalatu quidem eſſent antiquiores, ſed extra Romanam Curiam in prioribus ſuis Epiſcopatibus tunc reſiderent, quemadmodum ex ipſis ejuſdem Cardinalis Urſini ad Nos ſcriptis literis mox legendis pleniùs cognoſcetis.

Hìc Conſiſtorium ingreſſus fuit R. P. D. Battellus Archiepiſcopus Amaſenus Apoſtolicorum Brevium ad Principes à Secretis, & palàm recitavit epiſtolam ad Sanctitatem Suam à D. Cardinali Urſino conſcriptam ex ſeceſſu S. Paſtoris die 27. Martii 1719. Qua perlecta Sua Sanctitas ita Orationem proſecuta fuit.

Tam enixis, ac piis optimi Cardinalis precibus annuere æquum duximus, prout ſimiliter non minùs congruum cenſuimus ea jura ampliſſimè præſervare, quæ de cætero ſimilibus in caſibus quovis modo competere poſſent Cardinalibus Epiſcopis antiquioribus extra Romanam Curiam, apud ſuas primas Eccleſias tunc reſidentibus, dummodò è converſo ſalva itidem, & inviolata perſiſterent jura aliorum quorumcumque antiquiorum Cardinalium in eadem Romana Curia tunc commorantium; prout ex Reſponſo, quod eidem Cardinali Urſino dedimus, meliùs percipietis.

Hìc idem Archiepiſcopus Amaſenus legit Reſponſum à Sanctitate Sua prædicto Cardinali Urſino datum apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 8. Aprilis 1719.; quo lecto Sua Sanctitas ita Orationem abſolvit.

Hæc omnia, VENERABILES FRATRES, Vobis de quorum juri-

juribus agitur, ex hoc loco communicare non modò æquum, verùm etiam neceſſarium eſſe exiſtimavimus, ut ita qua ratione, quibus de cauſis, ac quibus cum declarationibus, & clauſulis optionem Oſtienſis, & Veliternenſis Eccleſiarum hodie permiſſuri ſimus, pleniſſimè dignoſceretis. Imò, quoniam declarationes, ac rationes hujuſmodi in noſtris ad eumdem Cardinalem Urſinum datis literis, quæ modo recitatæ fuerunt, fusè explicantur, Dilecto Filio Noſtro Petro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Otthobono S. R. E. Vice-Cancellario injungimus, ut eas unà cum Epiſtola ipſius Cardinalis Urſini ad Nos perſcripta, quam ſimiliter audiviſtis, inter Acta hujus Conſiſtorii ad perpetuam rei memoriam conſignet, ac ſervet. Cæterum ne prædicta Pauli IV. Conſtitutio ancipiti diutius, varioque ſententia rum judicio in ambiguum, atque incertum trahatur, neve in poſterum ſuper ea controverſiæ ullæ, aut diſſenſiones inter Cardinales oboriantur, fixum Nobis, decretumque eſt Viros doctrina, prudentia, & pietate inſignes deligere, qui & ipſam Pauli IV. Conſtitutionem diligenter excutiant, & ſiquæ alia ad cauſæ momentum contulerint, attentè exquirant, & accuratè perpendant, ut ita matura deliberatione adhibita, illud tandem hac in re ſtatuere poſſimus, quod ad majorem Dei gloriam, & cultum, ad hujus Sanctæ Sedis utilitatem, ad Ordinis Veſtri honorem, atque ad animarum ſalutem conducibilius eſſe arbitrabimur.

Singulariter in Spe Conſtituiſti me. Pſ.4.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 18. Septembris 1719.

ARGUMENTUM.

Relato Religionis Chriſtianæ ſtatu in Sinarum Imperio, ac iis omnibus, quæ poſt editam ſuper Ritibus, & Cæremoniis Sinenſibus Conſtitutionem ibidem evenerant, commemoratis, exponit ſuſceptum à ſe conſilium illuc rurſus mittendi novum Viſitatorem Apoſtolicum, & ad ejuſmodi Miniſterium deligit R. P. D. Carolum Ambroſium Mediobarbam Papienſem V. S. Referendarium, quem mox Patriarcham Alexandrinum creat.

VENERABILES FRATRES.

LXXXVI

EX quo ſupremum hoc Catholicæ Eccleſiæ culmen non minùs inviti, quàm immerentes, Deo ſic diſponente, conſcendimus: probè intelleximus, ſingularem illam animi propenſionem, qua priùs erga Sinenſes Miſſiones ferebamur, præcipuam jam noſtram ſolicitudinem evaſiſſe, ideoque ad Paſtoralis Officii noſtri debitum quàm maximè pertinere Chriſtifideles illarum partium intima, ac peculiari dilectione ita complecti, ut comper-

tum omnibus fieret neminem eorum, qui verum Deum per veram fidem agnoſcunt, magno quamvis intercedente terrarum ſpatio, tam diſſitum loco à Nobis eſſe, quin paterno cordi noſtro charitate proximus efficiatur. Minimè Vos latet quot, quantaſque Pontificiæ vigilantiæ noſtræ curas adhibuerimus, ut arctiſſimum hoc noſtrum, ac benè Nobis perſpectum debitum pro viribus impleremus, nihilque quantum in Nobis erat, intentatum relinqueremus, quatenùs Vinea Domini, quæ eſt Eccleſia, quam ſcilicet ipſe ſua dextera plantatam, & ſui ſanguinis pretio reparatam Nobis cuſtodiendam tradidit, palmites ſuos uſque ad mare, & ultra ejus terminos propagines ſuas latius in dies, atque felicius extenderet. Neque etiam Vos latet quàm longo, quàm maturo, & quàm diligenti præhabito examine dudum, videlicet tempore fel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri inchoato, ac deinde juſſu noſtro per plures annos continuato, acerrimas illas contentiones jampridem inter Sinenſes Miſſionarios exortas, ſemperque in dies magis invaleſcentes, tam circa quaſdam Voces Sinicas ad Sanctum, & ineffabile Dei Nomen exprimendum inibi uſurpatas, quàm circa nonnullos earum gentium ritus, veluti ſuperſtitioſos à quibuſdam ex Miſſionariis prædictis reprobatos: ab aliis verò, utpotè eos civiles tantùm aſſerentibus, permiſſos Apoſtolici judicii cenſurâ dirimere ſtuduerimus, ut ita ſublatis diſſidiis Chriſtianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem idipſum dicerent in eodem ſenſu, & in eadem ſententiâ, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui ſanctificati ſunt in Chriſto Jeſu. Similiter nec ignoratis quot, quantiſque ſtudiis, atque laboribus nova illa, quæ his peractis inimicus homo ſuperſeminavit, zizania, ut eorum, quæ à nobis hac in re decreta fuerant, obſervantiam eluderet, evellere curaverimus: eâ nimirum ante quatuor annos editâ Conſtitutione, qua decreta

hu-

hujuſmodi exactè, integrè, atque inviolabiliter obſervari præcepimus, quibuſcumque rationibus, ſeu excuſationibus ad illorum executionem declinandam allatis ampliſſimè rejectis. Noſtis prætereà, quæ, & quanta elapſo anno ex Sinarum partibus nunciata fuerint de novis inibi excitatis turbis, poſtquam memorata noſtra Conſtitutio vix illuc pervenerat. Noſtis difficultates, impedimenta, diſcrimina, quæ illius promulgationi interceſſerunt. Noſtis minas, ærumnas, perturbationes adversùs Europæos omnes, ac potiſſimùm Euangelii præcones exortas. Noſtis demum quinam vulgatus fuerit rumor de Sinenſis Imperatoris indignatione, ſuſceptoque indè non inani metu, quòd ex univerſo illius Imperio Miſſionarii omnes quamprimùm ejiciendi eſſent, ſimulque illic gravibus indicendis pœnis Chriſtianæ legis non tantùm prædicatio, ſed etiam profeſſio omninò inhibenda eſſet. Placuit nihilominùs Patri Miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, qui conſolatur Nos in omni tribulatione noſtrâ, non modicum hoc anno anguſtiis noſtris levamen afferre; Ex unâ ſquidem parte, videlicet Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illuſtris nomine certiores facti ſumus Regem ipſum ſuis Indiarum Adminiſtris, ac potiſſimum Goanis, & Machaonenſibus, pro perſpecta illâ, ac ubique gentium celebrata pietate ſuâ, diſtrictè mandaturum eſſe, ne ullum executioni ſupradictæ noſtræ Conſtitutionis impedimentum interponant, & ſi quod fortè hactenùs interpoſitum fuiſſe contingeret, ſedulò illud removeri curent, ut eadem noſtra Conſtitutio integrum ſuum, ac plenarium, ut par eſt, ſortiatur effectum. Ex aliâ verò parte, nempe ex ipſo Sinarum Imperio noviſſimè accepimus longiùs in præſens abeſſe pericula illa, quæ ibidem ſuperiori anno Chriſtianæ legis profeſſoribus imminere aſſerebantur; quin imò juſtè à Nobis ſperari poſſe, ut quivis eorum timor prorſus abſcedat,

ubi

ubi celeri in eas partes allegatione alicujus pii, prudentis, atque illic ſummoperè exoptati Apoſtolici Adminiſtri illius Imperatoris benevolentiam Nobis uberiùs conciliare ſtudeamus, ſimulque ipſius Apoſtolici Adminiſtri ſtrenuâ, ſolertique operâ inter Euangelicos earumdem partium Operarios, quorum ceteroqui in promovendo Chriſti Regno labores magnam in Domino laudem promerentur, Spiritus ille pacis, mutuæque charitatis diligenter foveatur, atque excitetur, qui eorum vocationi maximè convenit, quique accuratiſſimè à Nobis hactenùs illis commendatus fuit, atque etiam de cetero enixè commendabitur. Hunc propterea in finem, ac inſuper ut certi reddamur, quod iidem Euangelici Operarii præfatam Conſtitutionem noſtram, quemadmodum interpoſitâ jurisjurandi Religione ſeſe omnes obſtrinxerunt, re ipſa obſervent, ac nihilominus Miniſterium ſuum fideliter, & cumulatè obeant, nec illud obire à quoquam impediantur: divino prius per Nos diuturnis, atque accuratis precibus invocato præſidio, habitâque ſuper præmiſſis cum particulari Congregatione Fraternitatum Veſtrarum negotiis Propagandæ Fidei præpoſitarum deliberatione maturâ, Virum aliquem morum integritate, doctrina, pietate, atque prudentiâ præſtantem Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate Legati de Latere ad Imperium Sinarum, aliaque finitima Indiarum Orientalium Regna, unà cum congruo non modò ſelectorum Miſſionariorum, ſed etiam aliorum non vulgari bonarum artium, & laudabilium diſciplinarum peritiâ excellentium Virorum comitatu quamprimùm mittere conſtituimus. Ipſi verò ſic à Nobis mittendo Viſitatori conſilium cepimus præſcribendi, ut unà cum ſuis Sociis eâ utens facultate, quam fel. rec. Paulus V., Urbanus VIII., & Clemens X. Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri per ſuas hac in re editas Apoſtolicas Literas, non modò Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis, ſed etiam quibuſvis Presbyteris, ſive ſe-

cularibus, ſive regularibus cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, imò etiam Laicis ad Indias Orientales, & partes Sinarum accedentibus ampliſſimè conceſſerunt, ſuum ſcilicet iter, & navigationem per quaſcumque vias ſibi benè viſas ſuſcipiendi, liberè per Luſitaniam proficiſcatur, atque indè navigationem ad Sinas ſuſcipiat. Hanc porrò deliberationem hac vice amplexi ſumus non eo quidem animo, ut in uſum revocemus antiquiora illa decreta, quibus Religioſi Viri Ordinum Mendicantium ad partes Orientis, ut inibi Sanctum Euangelium prædicent, profecturi aliam, quàm Luſitaniæ viam tenere prohibebantur: adeòque Miſſionariis, & Miniſtris Apoſtolicis illam adimamus libertatem, quam præfatæ recentiores Pontificiæ Sanctiones ipſis indulgent per quaſcumque alias, quas maluerint, vias illuc proficiſcendi, multoque minùs eo conſilio, ut Viſitatori Apoſtolico nunc mittendo, ac ei adjungendis Miſſionariis à quoquam impetremus, vel etiam ipſis tribui patiamur licentiam ullam, aut permiſſionem obeundi in Sinarum Imperio, aliiſque Indiarum Orientalium Regnis Miniſterium, quod illis injunximus; cum omnibus ſatis perſpectum, atque exploratum ſit Romanum Pontificem ſupremam, & independentem pro ſpirituali animarum regimine in univerſo terrarum Orbe authoritatem habere, nec ad mittendos Operarios, qui Religionem Chriſtianam, Fidemque Catholicam apud Infideles prædicent, annuncient, roborent, & promoveant, ullius fidelis, vel infidelis cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis etiam Regiæ exiſtat, licentia, vel conſenſu indigere. Ejuſmodi autem conſilium ea dumtaxat ratione inivimus, ut memorati Viſitatoris operâ debitas Regi Portugalliæ gratias agamus, quod opem, præſidiumque ſuum pro felici hujus noſtræ expeditionis eventu benignè Nobis obtulerit; ac ipſemet Viſitator, ejuſque Socii Regii patrocinii fructum, & commoda

ex-

experiri incipiant, unde omnibus perspectum reddatur Joannem V. Portugalliæ Regem constanti sua erga Apostolicam Sedem reverentiâ, ac studio planè filiali minimè vinci voluisse à clarissimis Majoribus suis inclytæ memoriæ Regibus, qui non tam bellorum contra Infideles fortiter gestorum gloriâ, ac Orthodoxæ Religionis ferè ultra solis, annique vias propagatione, quàm fideli, strenuâque ejusdem Religionis tutela magnam apud homines laudem, & majora apud Deum Optimum Maximum sibi merita pepererunt. Cæterum, quò idem Visitator majori cum honorificentiâ ad Dei gloriam, animarumque pretiosissimo Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem tanto sibi à Nobis demandato Ministerio fungi valeat, Patriarchali eum titulo decorare intendimus celeberrimæ Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ scilicet jure optimo à primis Christianæ Religionis temporibus, tanquam peculiaris hæreditas Beatissimi Apostolorum Principis haberi meruit, quippequi per suum in Christo Filium Evangelistam Marcum, ejusque salutarem Sacrosancti Evangelii prædicationem sibi illam comparavit; unde eamdem Ecclesiam Alexandrinam meritò primam post hanc Romanam fuisse constat usque ad Lateranense Concilium sub Innocentio III., qui subinde ejusmodi honorem Ecclesiæ contulit Constantinopolitanæ.

Vacat igitur Patriarchalis Ecclesia Alexandrina per obitum bo: me: Gregorii Josephi Cajetani de Aragonia ultimi illius Patriarchæ.

Alexandria, Urbs Ægypti, cognomento Magna, fuit olim non minus Antistitum suorum gloria, quorum plerique fidei causa aspera quæque, & acerba perpessi fuerunt, quàm Incolarum multitudine clarissima; Ex quo autem Tyrannico Turcarum jugo succubit, antiquo etiam in temporalibus honore destituta lacrymis potiùs, quàm elogio digna reperitur;

quocirca præſentem deplorandum ejus ſtatum referre prætermittimus. Eidem Patriarchali Eccleſiæ præficere intendimus eum, quem, ut diximus, uti Viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate etiam Legati de Latere ad Sinarum, aliaque Indiarum Orientalium Regna mittere decrevimus, videlicet Dilectum Filium Carolum Ambroſium Mediobarbum de legitimis nuptiis ex Catholicis, Nobilibuſque Parentibus in Civitate Papienſi ortum, in trigeſimo quarto ſuæ ætatis anno, & Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutum, juris utriuſque Doctorem, & in utraque Signatura noſtra Referendarium, qui munere Cubicularii noſtri, honoris nuncupati, & deindè Gubernatoris, primùm quidem Civitatis Tuderti, ac demùm Provinciæ Sabinenſis probè, & laudabiliter functus eſt: Virum ſanè pietate non minùs, quàm doctrinâ, integritate, & prudentiâ commendatum, atque à memorata particulari Congregatione Fraternitatum Veſtrarum negotiis propagandæ Fidei præpoſita plenè approbatum.

Quid Vobis videtur.

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ providemus Eccleſiæ Patriarchali Alexandrinæ de perſona præfati Caroli Ambroſii, præficientes eum in Patriarcham, & Paſtorem, cum retentione omnium, quæ obtinet; ſimulque divinam bonitatem humiliter obſecramus, ut det illi Spiritum Sapientiæ, & Intellectus; Spiritum Conſilii, & Fortitudinis; Spiritum Scientiæ, & Pietatis, quo ſanctè, ac ſalubriter roboratus commiſſum ſibi à Nobis arduum Miniſterium fideliter, ac feliciter implere valeat.
In Nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 29. Novembris 1719.

ARGUMENTUM.

Creat decem S. R. E. Cardinales, novem evulgat, & unum in pectore ſibi reſervat.

VENERABILES FRATRES.



D laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ utilitatem, ac decus, Fraternitatum Veſtrarum numerum complere decrevimus. Memores autem illorum verborum, quibus Sanctus Bernardus Eugenium ſuum admonens, ut Collaterales, ac Coadjutores ſuos undecumque ſibi adſciſceret, & evocaret, ita eum allocutus fuit: *An non eligendi de toto Orbe, Orbem judicaturi?* omnium Chriſtianitatis Nationum, juxta Concilii Tridentini monitum, quantum Nobis fas eſt, rationem habebimus, ut ita de iis, qui perſonas SS. Apoſtolorum repræſentare debent, verè dici valeat: *In omnem terram exivit ſonus eorum*: Creare itaque intendimus S. R. E. Cardinales. [LXXXVII

I. Leo-

1. Leonem de Geſures Archiepiſcopum Bituricenſem.

Hic per plures annos, ut benè noſtis, in hac almâ Urbe Collegio Protonotariorum Apoſtolicorum de numero Participantium adſcriptus, acceptus omnibus, inviſus nemini, modeſtiſſimè vixit: ac interim utriuſque Signaturæ Referendarium laudabiliter egit. Diſceſſit ab hac Aulâ corpore non animo, quippe quem retinuit ſemper erga Apoſtolicam Sedem obſequentiſſimum, erga Romanam Curiam amantiſſimum.

2. Georgium Spinulam Archiepiſcopum Ceſareæ.

3. Cornelium Bentivolum Archiepiſcopum Carthaginenſem.

Ambo commiſſa ſibi à Nobis graviſſima munera, alter ſcilicet in Nunciatura Viennenſi, in Pariſienſi alter, ut alia ab utroque priùs geſta prætereamus, non ſinè diuturnis laboribus, anguſtiis plurimis, rerumque, ac temporum aſperitatibus maximis, ſummâ fide, ſummâque ſedulitate expleverunt.

4. Joſephum Pereyra de la Cerda Epiſcopum Pharaonenſem.

Novo hoc, ac planè ſingulari, imò & inſueto erga Nationem Luſitanam Pontificiæ benevolentiæ teſtimonio declarare cupimus nequaquam Nos immemores eſſe magnanimæ illius alacritatis, qua ſuperioribus annis Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Portugalliæ Rex tantâ cum ſui nominis laude, non tam officiis, ac precibus noſtris adductus, quàm verius eximiæ ſuæ pietatis ſtimulis incenſus prævalido, iteratoque quamplurium bellicarum, ac munitiſſimarum Navium ſubſidio Chriſtianam Claſſem adversùs Turcas adjuvit. Prætereà eumdem Regem hac ipsâ paternæ charitatis noſtræ præclarâ ſignificatione incitatum nuperæ, quam fecimus, ad Sinas expeditioni Regio ſuo patrocinio, quo illam ceteroqui, utpote ad majorem Divini Nominis gloriam, Catholicæque Religionis feliciora incrementa, unicè directam plurimùm fovendam eſſe non dubitamus, uberiùs ſemper, impenſiùs, ac benigniùs adfuturum confidimus.

5. Mi-

5. Michaelem Fridericum ex Comitibus de Althann Epiſcopum Vaccienſem.

Præſulem hunc ab adoleſcentia ſuâ non minus pietate, quàm literis inter Seminarii Romani Convictores in Urbe educatum; pluribus deindè Eccleſiaſticis proventibus ab hac Sancta Sede cumulatum: inſigni poſtea Romanæ Rotæ Auditorum Cœtui in ipſâ florentiori ſua ætate aggregatum: Vaccienſi demùm Eccleſiæ nondum à ſeſquianno præfectum: ſi nova eum modò, & quidem ampliori, imò & ampliſſimâ dignitate augeri contingat, gratum Urbi, gratum Eccleſiæ, gratum Apoſtolicæ Sedi uſquequaque futurum ambigere non poſſumus; ita ſiquidem egregia ejus indoles, claritas generis, honeſti mores, optima inſtitutio abundè Nobis pollicentur.

6. Joannem Baptiſtam Salernum Societatis Jeſu Presbyterum.

Perſpecta Vobis ſunt, ac fusè aliàs à Nobis ex hoc loco relata Religioſi hujus Viri merita, quæ ſibi maxima comparavit tùm in Electorali Saxoniæ Principe ad Eccleſiæ gremium revocando, tum in aliis feliciter peragendis, quæ magnas ſpes noſtras de ſimiliter futuris Catholicis Saxonicæ ditionis hæredibus validiſſimè roborarunt. Reliquum nunc eſt, ut debitam ejus laboribus mercedem rependamus: quam quidem, ut videtis, alacriter paramus quavis aliâ majorem, quam Nos ei retribuere poſſimus. Longè tamen illâ minorem, quam ipſe à bonorum operum retributore Deo Optimo Maximo, cujus cauſam ſtrenuè, ac fideliter egit, meritò poterit expectare.

Iſtis ſex Viris, veſtro accedente conſilio, ad Cardinalatus honorem promovendis tres alios addere conſtituimus: nullis quidem humanis rationibus id ſuadentibus, ſed ſolùm Apoſtolici Miniſterii debito Nos impellente; cui, ut plenè coram Deo ſatisfaciamus, moleſtias, anguſtias, & ærumnas quaſcumque æquo animo perferre parati ſumus. Tres alios itaque lectiſſi-

mos

mos Præſules creare ſimiliter intendimus Cardinales: eoſque profectò de Apoſtolicâ Sede, de Eccleſiâ univerſa, de Orthodoxâ doctrina, imò & de Catholicâ Religione optimè meritos, videlicet:

7. Franciſcum de Mailly Archiepiſcopum Rhemenſem.

Verè malleum, ut ejus cognomen Gallicè ſonat, ſed malleum Janſeniſtarum. Diximus Archiepiſcopum Rhemenſem. Laudavimus ſatis. Neque enim quiſquam Veſtrum ignorat quæ, & quanta ſtrenuus ille, atque imperterritus Conſtitutionis noſtræ UNIGENITUS propugnator pro ea fecerit: quæ, & quanta pro ea paſſus fuerit. Nemo idcircò Veſtrum itidem erit, qui etiam non cenſeat omninò æquum eſſe, ut ei, & in eo illis omnibus Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtitibus non minus ſapientiâ, & doctrinâ, quàm pietate, & ſtudio tuendæ Religionis illuſtribus, qui ejus exemplo prædictæ Conſtitutioni noſtræ debitam obedientiam præſtiterunt, gratum noſtrum animum luculentiori, quo poſſumus, Apoſtolicæ largitatis argumento exhibeamus.

8. Thomam Philippum de Alſatia de Bouſſu Archiepiſcopum Mechlinienſem.

Plura hìc referre poſſemus de hujus illuſtris Præſulis eximiâ vigilantia, quam, ubi primum ad ſuæ Metropolitanæ Eccleſiæ Regimen admotus fuit, adhibuit ſemper, & adhuc conſtantiſſimè adhibet, ut omnes Catholici Belgii Chriſtifideles, præſertim verò commiſſæ ſibi oves, quæ ut contagii locis, ita & periculis propinquiores ſunt, â venenatis pravarum doctrinarum paſcuis ſedulò arceantur. Sed unum dumtaxat dicere ſufficiat; quod nimirum ipſe ex cunctis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopis primus fuit, qui Conſtitutioni noſtræ, quæ incipit PASTORALIS, humiliter obſequens, noſtroque inhærens exemplo, eos omnes, qui aliam noſtram Conſtitutionem, quæ incipit UNIGENITUS, debita ſubmiſſione ſuſcipere recuſarunt, aut in poſterum recuſaſſent, ut veros S. R. E. filios ſe minimè agnoſcere diſertiſſimè declara-

verit,

verit, ſibique cum illis nullam deinceps communionem Eccleſiaſticam extituram palàm pronunciaverit, donec integrè reſipiſcerent, rejectâque penitùs audaciâ refragandi, per veræ obedientiæ exhibitionem, priſtinæ charitati, & unitati ab hac Sancta Sede reſtitui mererentur.

9. Ludovicum Belluga Epiſcopum Carthaginenſem.

Orthodoxæ veritatis Zelatorem maximum: Pontificiæ authoritatis intrepidum Defenſorem: Eccleſiaſticæ libertatis aſſertorem fortiſſimum: magnum Religioſiſſimæ Nationis Hiſpanicæ lumen, & ornamentum.

Decimum, qui ad complendum Fraternitatum Veſtrarum numerum deeſt, juſtis ex cauſis in pectore reſervare intendimus, arbitrio noſtro quandocumque evulgandum.

Novimus VENERABILES FRATRES, ac ut ingenuè fateamur, non ſinè aliquo paterni cordis noſtri dolore conſpicimus per hanc, quam erga tot exteros, ac potiſſimùm erga tres poſtremos Antiſtites, tametſi juſtiſſimè, exercere volumus largitatem, non paucis emeritis militibus, hoc eſt egregiis Præſulibus, qui in Apoſtolicæ Sedis, ac præſertim in hujus Romanæ Curiæ præcipuis muneribus, ſtrenuam, diuturnam, ac fidelem operam navarunt, præmia illa retardari, quæ eorum laboribus jam deberentur. Eam tamen de præclarâ illorum virtute gerimus opinionem, ut firmam in ſpem adducamur ipſos privatis quibuſcumque rationibus ſuis publicam Sanctæ hujus Sedis, Catholicæ Eccleſiæ, ac Orthodoxæ Religionis Cauſam libenti animo prælaturos; præſertim cum meritò ſperare valeant ab ejuſdem Apoſtolicæ Sedis inconcuſsâ juſtitiâ debitam ſibi, ſuiſque meritis remunerationem, tametſi dilatam, minimè tamen defuturam.

Novimus inſuper aliquorum ex iis, quos Vobis indicavimus, promotionem non omnibus acceptam futuram. Confidimus tamen illam minimè ingratam futuram ſcrutatori cor-

dium Deo, cui ſoli hac in re placere contendimus; ad cujus ſcilicet tremendum Tribunal, villicationis noſtræ rationem reddituri, non minus ab ineunte jam Pontificatus noſtri anno vigeſimo, quàm à gravi noſtra ætate infirmitatibus circumdatâ brevi ſiſtendos Nos eſſe admonemur.

Quid igitur Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra creamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

1. Leonem de Geſures Archiepiſcopum Bituricenſem.
2. Franciſcum de Mailly Archiepiſcopum Rhemenſem.
3. Georgium Spinulam Archiepiſcopum Cæſareæ.
4. Cornelium Bentivolum Archiepiſcopum Carthaginenſem.
5. Thomam Philippum de Alſatia de Bouſſu Archiepiſcopum Mechlinienſem.
6. Ludovicum Belluga Epiſcopum Carthaginenſem.
7. Joſephum Pereyra de Lacerda Epiſcopum Pharaonenſem.
8. Michaelem Fridericum ex Comitibus de Althann Epiſcopum Vaccienſem.
9. Jo: Baptiſtam Salernum Presbyterum Societatis Jeſu.

Cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

Alium in pectore reſervamus arbitrio noſtro quandocumque declarandum.

In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti. Amen.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 20. Martii 1720.

ARGUMENTUM.

Rationes explicat, quibus adductus consilium susceperat præcipiendi Ludovico de Belluga, & Moncada Episcopo Carthaginensi in virtute Sanctæ obedientiæ, ut ei delatam Cardinalitiam Dignitatem acciperet.

VENERABILES FRATRES.

Bi nuper de Viris pietate, & doctrina præstantibus, & de hac Sancta Sede præclarè meritis, Cardinalibus creandis deliberavimus, obversata in primis fuit oculis nostris eximia virtus Dilecti Filii Nostri Ludovici de Belluga, & Moncada Episcopi Carthaginensis, jam pridem digna, quæ excelsiori loco posita non amplius intrà unius Ecclesiæ limites coarctaretur, sed latiùs se effunderet in Ecclesiæ universæ utilitatem. Illum propterea, sicuti nostis, cum pluribus aliis egregiis, ac benemeritis Viris, in amplissimum Vestrum Ordinem cooptavimus, ac S. R. E. Cardinalem renunciavimus, ad nostræ solicitudinis adjumentum, ad Apostolicæ Sedis subsidium, ad LXXXVIII

miniſterii Veſtri, laboriſque conſortium. Verumtamen noſtra hæc non minùs juſtitiæ, quàm benevolentiæ ſententia, tametſi Fraternitatum Veſtrarum ſuffragiis commendata, & publicis, privatiſque cæterorum gratulationibus excepta, ipſum dumtaxat modeſtiſſimum, ac religioſiſſimum Epiſcopum, contriſtavit; itaut per datas ad Nos literas precibus, obſecrationibus, & obteſtationibus plurimis collatum ſibi honorem declinare tentaverit, neque ſolùm cauſas pleraſque ſuæ cunctationis attulerit, ſed aliorum etiam apud Nos officia ad obtinendam demandati Miniſterii immunitatem per multas tam Vobis, quàm aliis ſcriptas epiſtolas imploraverit, tantoque ſtudio conatus ſit, ut Dignitatis amplitudinem defugeret, quantum vix filii hujus ſæculi adhibere poſſent, ut honores arripiant. Inter cæteras verò moræ ſuæ cauſas voti cujuſdam antea emiſſi, ac fortaſſe etiam jurisjurandi religione à novis ejuſmodi honoribus, ac muneribus accipiendis ſe ſubmoveri ſignificavit. Hæc tamen optimi Antiſtitis cunctatio, cum novum, ac firmiſſimum Nobis ediderit ejus virtutis teſtimonium, non modò Nos à propoſito non deduxit, verùm in perſolvendi præmii judicio amplius confirmavit. Quamobrem, divino priùs enixis precibus invocato præſidio, habitâque ſuper hac re cum nonnullis ex Fraternitatibus Veſtris, aliiſque, pietate, prudentiâ, ac doctrinâ præſtantibus Viris deliberatione matura, de illorum unanimi conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quem anteà meritiſſimum quidem, ſed nec cogitantem in Sacrum Veſtrum Collegium adſcripſeramus, hærentem modò, nolentem, & renuentem, ac propterea magis merentem, in virtute ſanctæ obedientiæ ad accipiendam Cardinalatus Dignitatem compellendum cenſuimus, eique tam voti, quàm etiam, ſi opus eſſet, jurisjurandi vinculum relaxavimus per literas noſtras in forma Brevis, quas ad

illum

illum per celerem Curſorem jam miſimus, præcipuum propediem ex ejuſdem Dignitatis Inſignibus, Birretum ſcilicet Purpureum, de more miſſuri. Integram hujuſce rei ſeriem Vobis ex hoc loco aperiendam duximus, ut de tantæ virtutis laude, ac ſocietate gaudium veſtrum impleatur. Etſi enim communis ea ſit omnibus cauſa lætitiæ, debet tamen in peculiarem Ordinis Veſtri gratulationem redundare, ad quem nimirum ſolam à Paſtorum Principe cœleſtem coronam expectans Carthaginenſis Epiſcopus, non ancipitem, aut lubricam, ſed certam, tutamque viam ſibi munivit, atque ut intraret, ſalutari metu, ac Religione deterritus, meruit etiam compelli; cum ſummo pietatis candore, ac Chriſtianæ humilitatis ſynceritate, nec Dignitatis veſtræ ſublimitatem meritis æquaſſe, nec ferendo oneri parem ſe viribus eſſe fateretur. Quemadmodum igitur Nos officii noſtri eſſe duximus ad præmiſſa devenire, ne tam illuſtre virtutis ſpecimen Sacri Collegii Veſtri ſplendori ſubtraheretur: ita Vos, VENERABILES FRATRES, de præclaris hiſce exemplis, quæ præcipua ſunt gradus, locique veſtri ornamenta, debitas virtutum Domino gratias agite; ſimulque divinam opem graviſſimis aliis conſiliis noſtris ejuſdem Ordinis Veſtri exiſtimationem, & honorem non minùs, imò etiam ampliùs, reſpicientibus, propitiam aſſiduis, atque accuratis precibus implorate.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 6. Maji 1720.

ARGUMENTUM.

Profectionem Patriarchæ Alexandrini ad Civitatem Ulyſſiponenſem, & præcipua honoris, benevolentiæ, ac liberalitatis argumenta, quibus à Rege Luſitaniæ exceptus, & poſtmodum ad Sinas honorificentiſſimè dimiſſus fuerat, eleganter exponit.

VENERABILES FRATRES.

LXXXIX

Udum Vobis ex hoc loco ſignificavimus, quibus rationum momentis adducti Viſitatorem Apoſtolicum ad Sinas, aliaque Indiarum Orientalium Regna deſtinaverimus: quibus itidem facultatibus, ac mandatis inſtructum ad ejuſmodi Provinciam Venerabilem Fratrem Carolum Ambroſium Patriarcham Alexandrinum delegerimus: quid demùm Nobis conſilii fuerit, cum illum per Luſitaniam iter tenere, atque indè in Sinas ſolvere decrevimus. Hodie miſerentis Dei ope ſaluberrimo huic operi obſecundante, proſpera arduæ hujus expeditionis auſpicia Vobis ex eodem loco renunciamus. Eximia enim Chariſſimi in

Chri-

Chriſto Filii Noſtri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illuſtris pietas, ejuſque in hanc Sanctam Sedem reverentia, nec non dilatandæ rei Chriſtianæ ſtudium Regio animo digniſſimum, ſpes noſtras de conciliando ſuſceptis conſiliis Regali patrocinio ratas fecit; prædictum ſcilicet Patriarcham præcipuis honoris teſtimoniis proſecutus amantiſſimè excepit, liberaliter tractavit, honorificentiſſimè dimiſit: ac non modò illum, ejuſque ſacræ Militiæ ſocios pecuniâ, & commeatu inſtruxit, nauli inipenſas ex Regio ſuo Ærario erogandas mandavit, neque ullas benevolentiæ partes ſibi reliquas fecit; verùm etiam injuncto ei à Nobis muneri utiliùs, ac feliciùs obeundo, quod potiſſimùm optabamus, Regiæ ſuæ auctoritatis præſidium ampliſſimè pollicitus fuit. Prætereà Patriarcham ipſum graviter, ac ſapienter per hæc rerum curandarum initia ſe geſſiſſe, ac noſtra apud Luſitanam Aulam mandata prudenter, fideliter, ac feliciter impleviſſe gaviſi ſumus. Æquum idcircò cenſuimus læta hæc ad animarum ſalutem, divinique nominis gloriam amplificandam primordia, tametſi fama ipſa nunciante unicuique Veſtrum ea jam innotuiſſe non dubitemus, Vobiſcum in hac Conſiſtoriali Aula congregatis honorificentiùs communicare; ut ita animos veſtros communi Nobiſcum ſolicitudine de tam ancipitis, ſed tamen ſalutaris, ac neceſſariæ expeditionis ſucceſſu ſuſpenſos lætificemus: ſimulque ad preces divinæ bonitati alacriùs fundendas excitemus, ut quod cœpit opus Clementiſſimus Dominus, ipſe perficiat; cumque illa ipſa die, qua anniverſaria Dominicæ Incarnationis memoria recolitur, nempe vigeſima quinta Menſis Martii, novum hoc Euangelicorum Præconum agmen unà cum ſuo Duce ex Ulyſſiponenſi litore ſolverit, tanti Myſterii fidem, ac fructum inferat gentibus ambulantibus in tenebris, & auſpicatiſſimo Beatiſſimæ Virginis nomine vera ſalus ægris, ac perditis populis annuncietur.

IN

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 30. Septembris 1720.

ARGUMENTUM.

Expoſitâ Epidemicæ luis inter Maſſilienſes graſſantis calamitate ſolemnem ſupplicationem indicit ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum ad Baſilicam S. Mariæ Majoris ad ejuſmodi graviſſimi flagelli ceſſationem à Divina Miſericordia implorandam.

VENERABILES FRATRES.

xC. UM primùm ad Nos, diuturnis cæteroqui, ac multiplicibus amaritudinibus repletos, acerbus de Epidemica lue inter Maſſilienſes graſſante nuncius allatus fuit, omnes, quas potuimus, Pontificiæ providentiæ curas ad publicæ incolumitatis præſidium contulimus; nec modò Almam hanc Urbem, ſed univerſam Eccleſiaſticam noſtram ditionem vigili ſolicitudine cuſtodire ſtuduimus. Indictis inſuper pro vitanda mortalitate precibus celeſtem opem implorare non prætermiſimus, ut divinæ iracundiæ flagella ab iis, quos calamitas premit, avertere ſatageremus: ab aliis verò, quos tantæ cladis metus invaſit, pericula

non

non immeritò formidanda propulſaremus. At quoniam peccatis noſtris Deum magis in dies ad iram provocantibus, nec Angeli percutientis ceſſàvit manus, neque periculi ſuſpicione, ac formidine ſoluti ſumus; intelligimus profectò iniquitates noſtras contendere contra Nos, adeôque non aliàs, quàm per veræ, ac ſalutaris pœnitentiæ lamenta, humileſque, & unanimes obſecrationes, atque orationes placandum eſſe Dominum, ut quieſcat à malo, quod cogitavit facere populo ſuo. Fruſtrà enim vigilamus, niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, ac temerè adversùs delictorum ultionem portas occludimus, & munimus, niſi peccatorum peſtes arceamus, ac vitia noſtra, quæ calamitates invehunt, emendemus. Decrevimus propterea ſolemnem ſupplicationem indicere ab Eccleſiâ Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Baſilicam ejuſdem Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatæ habendam die ſexta imminentis Menſis Octobris in quam ſcilicet, ultra Feſtum S. Brunonis Confeſſoris, quod eâ die in præfata Eccleſia S. Mariæ Angelorum de more celebrabitur, incidet hoc anno etiam prima Dominica dicti Menſis, ſolemnitati Sacratiſſimi Roſarii ejuſdem Glorioſiſſimæ Virginis dicata, cujus patrocinium in aliis etiam depellendis calamitatibus, ac periculis præſentiſſimum, ut probè noſtis, ſemper experti ſuimus. Iis porrò Chriſtifidelibus, qui præmiſſo jejunio, nec non eleemoſynis, cæteriſque Chriſtianæ pietatis operibus in peculiari Edicto præſcribendis plenè adimpletis, eidem ſupplicationi, quam Nos unà cum Fraternitatibus Veſtris, univerſoque Clero, & populo hujus Urbis, benedicente Domino, agemus, devotè interfuerint, aut alia in eodem Edicto proponenda peregerint, cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem Fidei noſtræ commiſit divina dignatio, liberali manu elargiemur, ut ita eoſdem Chriſtifideles ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos magis incitemus. Cùm autem Veſtris precibus adjuvandam infirmitatem noſtram, ve-

ſtræque pietatis exemplis vehementiùs aliorum animos inflammandos eſſe non dubitemus; Vobis primùm hæc noſtræ ſollicitudinis conſilia ſignificamus, ut unanimiter in oratione perſeverantes, ſtemus in confractione in conſpectu Domini, ut mirificet miſericordias ſuas, qui ſalvos facit ſperantes in ſe. Eja igitur, VENERABILES FRATRES, ſacrificemus Deo noſtro, ne fortè accidat Nobis peſtis, itemque obſecremus, ut qui diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam, non ſecundùm iniquitates noſtras retribuat nobis; ſed immittat Angelum ſuum in circuitu noſtro, ut ipſe Nos cuſtodiat, nec accedat ad Nos malum, nec flagellum appropinquet tabernaculo noſtro. Prætereà cùm charitas Chriſti urgeat Nos, ut operemur bonum ad omnes, maxime autem ad Domeſticos fidei, rogemus ſimiliter Dominum, ut mittat Verbum ſuum, & ſanet eos, qui vexati ſunt à tribulatione malorum, eripiatque illos de interitionibus eorum, ut vivant, & narrent opera Domini, qui non vult mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant.

IN EODEM CONSISTORIO.

Poſt Præconia, & Propoſitiones Eccleſiarum creavit S. R. E. Presbyteros Cardinales Carolum Borgiam Patriarcham Indiarum, & Alvarum Cienfuegos Soc. Jeſu Presbyterum, nec non declaravit ejuſdem S. R. E. Cardinalem Jo: Franciſcum Barbadicum Epiſcopum Brixienſem, quem in Conſiſtorio habito die 29. Novembris 1719. in pectore reſervaverat.

VENERABILES FRATRES.

XCI. GRaviſſimis ex cauſis non tam Apoſtolicæ Sedis, quàm Eccleſiæ univerſæ bonum reſpicientibus adducti, Fraternitatum Veſtrarum numerum complere decrevimus; ideoque creare intendimus S. R. E. Cardinales:

Ca-

Carolum Borgiam Patriarcham Indiarum, &
Alvarum Cienfuegos Societatis Jeſu Presbyterum.

Præterea palàm evulgare, ac declarare intendimus etiam alium Cardinalem, quem dudum, nempe in Conſiſtorio noſtro Secreto habito die XXIX. Novembris anni proximè præteriti, una cum aliis novem Cardinalibus creavimus, ſed in pectore reſervavimus, videlicet:

Joannem Franciſcum Barbadicum Epiſcopum Brixienſem.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra declaramus, ac reſpectivè creamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Jo: Franciſcum Barbadicum Epiſcopum Brixienſem.
Carolum Borgiam Patriarcham Indiarum.
Alvarum Cienfuegos Societatis Jeſu Presbyterum.

Cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In nomine Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Cadet Superbus et Corruet. Jerem 50.

IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 16. Decembris 1720.

ARGUMENTUM.

Sacro Collegio nuncium communicat insignis victoriæ, quam Rex Catholicus de Mauris reportaverat, & Septensem Civitatem à diuturna eorumdem hostium obsidione feliciter liberaverat.

VENERABILES FRATRES.



xCII. Ngentem lætitiam, qua Vos magna cum animi nostri voluptate perfusos vidimus, cum primùm elapsis diebus, ipsa scilicet anniversaria die Coronationis nostræ, à Dilecto Filio Nostro Francisco S. R. E. Cardinali Aquaviva insignem Victoriam ab exercitu Charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici de Mauris, hoc est, teterrimis Christiani nominis hostibus reportatam, simulque Civitatem Septensem à diuturna illorum obsidione liberatam audivistis, cumulatiùs adhuc, & pleniùs precepturos hodie Vos esse non dubitamus, dum hunc ipsum faustissimum nuncium per literas prædicti Philippi Regis hac eadem die paulò antequam Consistorium ingrederemur,

à præfato Cardinali Nobis redditas confirmatum, Vobiſcum ex hoc loco, ut æquum eſt, nullâ interpoſitâ morâ communicamus. Ex iiſdem literis, quæ mox legentur, intelligetis pariter ipſum Regem pro ſua in hanc Sanctam Sedem filiali obſervantiâ unum ex bellicis Vexillis, quæ à Barbarorum manibus Hiſpanorum Militum Fortitudo feliciter abſtraxit, ad Nos miſiſſe; quod ſanè ad facti memoriam ſempiternam in hac veræ Religionis arce illuſtre, ac perenne erit non minùs Chriſtianæ Fidei trophæum, quàm Regiæ pietatis, ac Divini beneficii monumentum.

Hìc ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Battellus Archiepiſcopus Amaſenus Secretarius Brevium, quæ ad Principes ſcribuntur, legitque ſupradictas literas Regis Catholici ad Sanctitatem Suam ſcriptas, ex Hiſpanico idiomate in Italicum verſas. Quibus lectis Sanctitas Sua allocutionem ſuam reaſſumpſit, ut ſequitur.

Levantes igitur cor, & oculos noſtros in Montem excelſum, & Sanctum, unde Nobis maximum hoc, & longè opportunum anguſtiis illis, quibus ob graviſſimas, ac nimiùm notas Eccleſiæ, & Reipublicæ calamitates aſſiduè premimur, levamen effluxit, ſacrificemus Patri Miſericordiarum, & Deo totius conſolationis hoſtiam laudis, & jubilemus ei in voce exultationis. Rogemus itidem accuratis precibus exercituum Dominum, ut piiſſimum Regis animum in dies magis inflammet ad inſtandum victoriæ, nec alia in poſterum, quàm bella Domini prælianda. Hæc quidem privatim Nos facere non prætermittemus, & Vos ſimiliter facturos eſſe non ambigimus, donec communibus hæc eadem Nobiſcum votis ſolemniori ritu præſtabitis.

IN



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 3. Februarii 1721.

ARGUMENTUM.

Novam Victoriam à Rege Catholico de Mauris in Africa relatam Sacro Collegio communicat.

VENERABILES FRATRES.

xCiii.

Ecce jam tertiò dextera Domini percussit inimicum; repleatur propterea os nostrum laude, & lingua nostra exultatione. Mauri scilicet ab invictis armis Charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici semel, atque iterum cæsi, & profligati, cùm copias denuò, & vires undique contraxissent, in multitudine sua gloriantes, ipsisque acceptis cladibus ferocientes, Castra Hispanorum incredibili audaciâ, ac temeritate aggressi die 21. Mensis Decembris proximè elapsi, tantâ Christianorum Militum virtute excepti sunt, ac repulsi, ut octo ferè millibus amissis terga dederint, & qui superiorum calamitatum dedecus ingenti apparatu, conatuque reparare susceperant, nova clade obtriti, novoque opprobrio perditi recesserint; Dominus enim quasi vir pugnator, extendens manum

suam,

ſuam, arrogantiam fortium humiliavit, & in multitudine miſericordiæ ſuæ depoſuit adverſarios ſuos. Novam hanc Chriſtiani Nominis felicitatem, quam Rex Catholicus ad ſuæ erga Deum pietatis, atque erga hanc Sanctam Sedem filialis obſervantiæ argumentum, Nobis ſignificavit, ex ejuſdem Regis literis ab Hiſpanico idiomate in Italicum verſis, quas Ipſe per extraordinarium Curſorem ad Nos miſit, ac Dilectus Filius Noſter Franciſcus S. R. E. Cardinalis Aquaviva ante tres dies Nobis reddidit, pleniùs intelligetis.

Hic ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Battellus Archiepiſcopus Amaſenus Secretarius Brevium, quæ ad Principes ſcribuntur, legitque ſupradictas literas Regis Catholici ad Sanctitatem Suam ſcriptas; Quibus lectis Sua Sanctitas allocutionem ſuam reaßumpſit, ut ſequitur.

Cùm autem, VENERABILES FRATRES, proſperi hujus ſucceſſus lætitiam ex hoc loco Vobiſcum communicamus, ſimul etiam hortamur Vos, & obſecramus, primùm quidem, ut Omnipotenti Deo, qui fortis in prælio fecit Victoriam, ex intimo animi ſenſu juges, debitaſque Nobiſcum gratias agatis, ac ſimul loquamur potentias Domini, & enarremus mirabilia ejus: deinde ut eximium Catholici Regis pro dilatanda Dei gloria zelum collaudantes, ejuſque ad inferenda barbaris arcibus Chriſti ſigna piis votis obſecundantes, Hiſpanorum Militum virtutem tantis hactenùs contra Crucis hoſtes experimentis teſtatam, precum veſtrarum ſubſidiis adjuvare pergatis; Cumque illi pro tuenda, & amplificanda Chriſtiana Religione pericula graviſſima adire, & ſanguinem fundere mira alacritate geſtiant, Nos pari ſtudio, & ardore Divinæ Miſericordiæ præſidium in contritione cordis implorare contendamus, ut quod Dominus incœpit, opus pro ſua in Nos clementia perficiat. Hunc porrò in finem Dilectus Filius Noſter

in

in hac Alma Urbe Vicarius in ſpiritualibus generalis conſuetas preces contra Paganos juſſu noſtro in Miſſis omnibus, quæ in ſingulis ejuſdem Urbis Eccleſiis celebrabuntur, quouſque opus fuerit, recitandas quamprimùm indicet, ut in magnitudine brachii Domini irruat ſuper barbaras illas gentes formido, & pavor, ac tandem cognoſcant, quia Deus noſter in ſpiritu furoris ſui pugnat pro Nobis.



IN CONSISTORIO SECRETO

Habito die 3. Martii 1721.

ARGUMENTUM.

Controverſiam exponit rurſus obortam circa Decanatum Sacri Collegii vacantem per obitum Cardinalis Aſtallii, ac de eo juxta Conſilium particularis Congregationis à Sanctitate Sua deputatæ decidit pro Cardinali Tanario, cui etiam Oſtienſis, & Veliternenſis Eccleſiarum optionem permittit.

VENERABILES FRATRES.

Uo jam lapſi ſunt anni, ex quo occaſione obitus bo: me: Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli, Epiſcopi, dum viveret, Oſtienſis, & Veliternenſis, Veſtrique Collegii Decani orta fuit dubitatio circa ſenſum Conſtitutionis fel. rec. Pauli Papæ Quarti Prædeceſſoris noſtri, qua ejuſdem Collegii Decanatum perpetuis futuris temporibus, nonniſi ad Epiſcopum Cardinalem antiquiorem in Romana Curia præſentem, aut ex cauſa publica abſentem, atque extra eamdem Curiam per Romanum Pontificem deſtinatum devenire poſſe ſancitur; Ambigebatur ſi- xCIV.

quidem à pleriſque, num Conſtitutione prædicta adversùs Cardinales à Curia hujuſmodi abſentes lata comprehenderentur, ſeu potius excluderentur Cardinales promotione antiquiores qui occurrente Decanatus vacatione ab ipsâ quidem Curiâ abeſſent, ſed apud illas Eccleſias reſiderent, quas eis in adminiſtrationem retinere etiam unà cum aliqua ex illis Eccleſiis Suburbicariis, quæ Cardinalibus antiquioribus aſſignari ſolent, ex conſueta hujus Sanctæ Sedis indulgentia permiſſum eſſet. Et ſanè eiuſmodi rei ambiguitas, cùm nullis adhùc præfatæ Sanctæ Sedis definitionibus diſcuſſa, ac dirempta eſſe videretur, animum noſtrum adduxerat, ut eam expendendam, librandamque demandaremus, ſive Dilectis Filiis Rotæ Romanæ Auditoribus, ſive aliis hujus Curiæ Prælatis, quorum ſententiis, judiciiſque ſuffragantibus id demùm, quod rationi, & æquitati conſentaneum viſum Nobis fuiſſet, decernere potuiſſemus. Verùm dum in hac deliberatione verſaremur, ut probè noſtis, Venerabilis Frater Noſter Vincentius Maria Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis Urſinus, quem unum, tanquam cæteris ſuis Collegis promotione priorem, tam ad Decanatus Dignitatem, quàm ad Oſtienſem, & Veliternenſem Eccleſias (memorata Pauli IV. Conſtitutione ſepoſita) antiquitatis jura vocabant, ſecum animo reputans rem hanc abſque aliqua contentione tranſigi minimè poſſe, diſertè, & quidem non ſemel, Nobis ſignificavit, ſe firmiter conſtituiſſe ſuper iſtiuſmodi negotio à quavis concertatione, ſeu litis ſpecie prorsùs abſtinere, addiditque inſuper ſe Beneventanæ Eccleſiæ jamdudum obſtrictum reperiri. Sacri verò Collegii Decano, eidemque Oſtienſi, ac Veliternenſi Epiſcopo multiplices curas, nec levem pro animarum regimine vigilantiam incumbere; optare ſe proindè, atque etiam obteſtari, ut quacumque ſui ratione poſthabita, Dignitatem Decanatus tunc vacantem Epiſcopo Cardinali ex reſidentibus in Romana Curia antiti-

tiquiori deferre vellemus, illique pariter Eccleſiarum Oſtienſis, & Veliternenſis optionem permitteremus: eâ tamen adjectâ declaratione, ut ſimili in poſterum occurrente Decanatus vacatione, ſalva, & illæſa remanerent, ſi quæ eſſent, jura Epiſcoporum Cardinalium, qui Cardinalatu quidem eſſent antiquiores, ſed extra eamdem Curiam in prioribus ſuis Epiſcopatibus tunc reſiderent. Hinc Nos tam enixis, ac verè laudabilibus optimi Cardinalis precibus annuentes, bo: me: Fulvio tunc Epiſcopo Sabinenſi ejuſdem S. R. E. Cardinali Aſtallio, qui ex Epiſcopis Cardinalibus in Romana Curia reſidentibus antiquior erat, prædictam Decanatus dignitatem deferri, ſimulque earumdem Oſtienſis, ac Veliternenſis Eccleſiarum optionem abſque ulla majori cunctatione permiſimus; ſalvis tamen, & ampliſſimè præſervatis juribus, quæ de cætero ſimilibus in caſibus quovis modo competere poſſent Epiſcopis Cardinalibus antiquioribus extra dictam Curiam apud ſuas priores Eccleſias reſidentibus, dummodò è converſo ſalva itidem eſſent jura aliorum quorumcumque antiquiorum Cardinalium in eadem Curia tunc commorantium. Quinimò ne prædicta Pauli IV. Conſtitutio ancipiti diutiùs, varioque ſententiarum judicio in ambiguum, atque incertum traheretur, neve de cætero ſuper ea controverſiæ ullæ, aut diſſenſiones inter Cardinales oborirentur, Vobis ea occaſione ſimiliter declaravimus fixum, decretumque Nobis eſſe Viros aliquot doctrina, ac prudentia inſignes deligere, qui & ipſam Pauli IV. Conſtitutionem diligenter excuterent, & ſiquæ alia ad cauſæ momentum contuliſſent, attentè inquirerent, & accuratè perpenderent, ut ita matura deliberatione adhibita, illud tandem hac in re ſtatuere poſſemus, quod ad majorem Dei gloriam, & cultum, ad Apoſtolicæ Sedis utilitatem, ad Ordinis Veſtri honorem, atque ad animarum ſalutem conducibilius eſſe arbitraremur. Verùm hoc ipſum à Nobis ſuſceptum conſilium, ac Vobis ex

hoc eodem loco ſignificatum exequi diſtulimus, quia cum Decanatus dignitatem, ac ſimul ſupradictas Oſtienſem, & Velitrenſem Eccleſias obtinuiſſet memoratus Cardinalis Aſtallius, cujus vegeta ætas, ac integra valetudo longè diuturnioris vitæ ſpem Nobis meritò faciebant, ejuſmodi negotium quamcumque moram facilè pati poſſe cenſuimus. Cùm tamen inſcrutabili Divinæ Providentiæ conſilio factum ſit, ut prædictus Cardinalis Aſtallius opinione noſtra celeriùs ab humanis deceſſerit, ſtatim ſecuto ejus obitu, ut quod à Nobis jamdudum ſtatutum fuerat, abſque ulteriori mora impleremus, ſeptem hujus Curiæ Præſules doctrina, atque integritate præſtantes deputavimus, illiſque rem totam commiſimus, ut probè, ac maturè diſcuſſis, ac perpenſis rationum momentis, quæ hinc inde afferri poterant, & de quibus eos plenè inſtrui curavimus, ſuum circa verum ſenſum memoratæ Conſtitutionis Pauli IV. judicium proferrent, quidque in hujuſmodi negotio juſtitiæ, ac veritati conſonum ipſis viſum eſſet, Nobis indicarent. Iiſdem porrò Præſulibus commiſimus pariter aliam controverſiam ſuper eodem Decanatu excitatam inter Venerabiles Fratres Noſtros Sebaſtianum Antonium Epiſcopum Tuſculanum Tanarium, ac Franciſcum Epiſcopum Prænestinum S. R. E. Cardinales Judicem reſpectivè nuncupatos; primum quidem antiquiorem in Epiſcopatu, ſed juniorem in Cardinalatu, ſecundum verò juniorem in Epiſcopatu, ſed antiquiorem in Cardinalatu, atque ex ſpecialibus in ſuo caſu concurrentibus rationibus minorem Epiſcopatus antiquitatem ſibi minimè obeſſe contendentem. Verùm cùm idem Cardinalis Judice, priuſquam ſecunda hujuſmodi controverſia deputatorum Præſulum examini ſubjiceretur, cuicumque ſuo juri cedere exiſtimaverit, ea dumtaxat adjecta conditione, quòd in futuris Decanatus vacationibus nullum ex ſua ceſſione præjudicium illatum intelligeretur iis Cardinalibus, quibus ſimilia jura competerent, nihil circa eamdem

ſe-

ſecundam controverſiam, (petita jurium hujuſmodi præſervatione excepta) à prædictis Præſulibus actum fuit. Quid jam Præſules ipſi concordibus ſuffragiis in primâ controverſia ſenſerint: quid itidem in ſecunda, ut de cætero indemnitati Cardinalium ſimilia jura foventium conſultum eſſet, Nobis propoſuerint, mox audietis.

Hic ingreſſus fuit Conſiſtorium R. P. D. Riviera Sacri Collegii Secretarius, legitque Conſilium, ſeu Decretum ſeptem Prælatorum à Sanctiſſimo Domino noſtro ſuper ejuſmodi negotio deputatorum, die 28. *mox elapſi menſis Februarii ab eis editum; Quo lecto Sanctitas Sua allocutionem ſuam reaßumpſit, ut ſequitur.*

Iſtiuſmodi Prælatorum Conſilium, ſeu Decretum ſtatim ac Nobis relatum fuit, ut audiſtis, benignè approbavimus, ac perpetuis futuris temporibus inconcuſsè obſervari mandavimus. Id ipſum nunc iterum enixiùs mandamus, ac inſuper duo ejuſdem Decreti authentica exemplaria unà cum Summariis rationum, ſeu, ut ajunt, Votis, quibus ſinguli Præſules propriam ſententiam unanimiter confirmarunt, tradi volumus, unum quidem Dilecto Filio Noſtro Petro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Otthobono S. R. E. Vice-Cancellario, aliud verò Dilecto Filio Collegii Veſtri Secretario, ut ambo non tam ipſum Decretum, quàm præfata Summaria, ſeu Vota, quorum duo itidem authentica exemplaria eis hunc in finem dari jubemus, inter Acta præſentis Conſiſtorii ad perpetuam rei memoriam aſſervent, atque cuſtodiant.

Hæc omnia, VENERABILES FRATRES, Vobiſcum in præſens communicanda exiſtimavimus, ut in eiuſmodi re ad Ordinem Veſtrum pertinente, quid hactenùs actum fuerit, plenè compertum, ut par eſt, ac penitùs exploratum habeatis. Cæterum num ad majorem geſtorum firmitatem, ac quaſcumque futuras

con-

controverſias penitùs extinguendas, novam deſuper Apoſtolicam Conſtitutionem, ſeu declarationem edi, ac promulgari expediat, poſtquam ſingulorum Præſulum Vota à Nobis viſa, ac perpenſa fuerint, maturiùs deliberabimus.

Obiit prædictus Sanctiſſimus Pontifex CLEMENS *XI. breviſſimo duorum dierum morbo è vivis raptus potiùs, quàm ſublatus, feria iv. die xix. Martii 1721. horâ circiter decimâ octavâ cum dimidia in Palatio Apoſtolico Quirinali, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè, ſummâque pietate perceptis.*

Vixit Ann. 71. Menſ. 7. dies 25.

Sedit Ann. xx. Menſ. 3. dies 26.

IN-

INDEX ARGUMENTORUM SINGULARUM ORATIONUM

Juxta temporis ordinem diſpoſitus.

Die 15. Decembris 1700.

I. *DE ſua ad ſummum Pontificatum aſſumptione Sacro S. R. E. Cardinalium Collegio gratias agit.* fol. 1.

Die 21. Februarii 1701.

II. *Obitum Caroli II. Hiſpaniarum Regis Catholici impensè dolet. Defuncti laudes commemorat, & ſolemnium Exequiarum in Pontificio Sacello pro illius animæ ſuffragio celebrandarum diem deſignat. Poſtremò univerſale Jubileum ad divinam opem ſui Pontificatus initio, & pro occurrentibus Eccleſiæ neceſſitatibus implorandam indicit.* f. 3.

Die 18. Aprilis 1701.

III. *Audax facinus Friderici Marchionis Brandeburgenſis, qui nomen, & inſignia Regis Pruſſiæ, inſciâ Sede Apoſtolicâ, ſibi arrogaverat, improbat, ac damnat, ſimulque palàm facit ſe monuiſſe Catholicos Principes, ne præſumptos à dicto Marchione honores ullo officii genere illi tribuant.* f. 6.

Die 8. Auguſti 1701.

IV. *Suum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum deputat D. Cardinalem Archintum ad Sabaudiæ Principiſſam, Philippi V. Hiſpaniarum Regis Catholici Sponſam, brevi ex Italia diſceſſuram.* f. 8.

Die

Die 3. Octobris 1701.

V. *Obitum Jacobi Secundi Magnæ Britanniæ Regis DD. Cardinalibus significat, ejusque laudes, & quæ pro Orthodoxa Religione subierat, damna honorificâ commemoratione prosequitur.* f. 10.

Die 21. Novembris 1701.

VI. *Propositis, quæ Italiæ, Europæ, & Ecclesiæ impendebant, gravissimis malis ob exortum inter Imperatorem, & duos Reges de Hispanica successione atrox bellum, ac paternis commemoratis officiis ad illud amoliendum frustrà adhibitis, DD. Cardinalibus consilium aperit, quod susceperat, mittendi Nuncios extraordinarios ad eosdem Catholicos Principes, ut eos ad Christianam Concordiam, & Pacem revocare pro viribus studeat, ac publicæ tranquillitati prospiciat.* f. 13.

Die 5. Decembris 1701.

VII. *Christianæ Religionis statu in Sinarum, & aliis finitimis Indiarum Orientalium Regnis expositio, exortisque nuper inter Missionarios Apostolicos illarum partium dissidiis commemoratis, DD. Cardinalibus proponit susceptum à Sanctitate Sua consilium mittendi ad eas Regiones Visitatorem Apostolicum cum potestate Legati de Latere, congruo Missionariorum comitatu honestatum. Mox ad id Ministerium eligit Carolum Thomam Maillard de Tournon Taurinensem, Pontificium Cubicularium honoris nuncupatum, quem demum Antiochenæ Ecclesiæ Patriarcham constituit.* f. 16.

Die 8. Maji 1702.

VIII. *Deputat D. Cardinalem Carolum Barberinum suum; & Apostolicæ Sedis de Latere Legatum ad Philippum V. Hispaniarum Regem Catholicum Neapoli commorantem.* f. 19.

Die 20. Julii 1702.

IX. *Excipit benignè D. Cardinalem Carolum Barberinum ab Apostolica Legatione, de qua proximè, reducem.* f. 21.

Die 15. Januarii 1703.

X. *Concussa ingenti terræmotu proximâ nocte, ac magnoperè deterrita Urbe; DD. Cardinales admonet recentem hanc calamitatem perspicuum esse cœlestis iræ peccatis hominum lacessitæ argumentum, eosque ad illa edenda veræ pœnitentiæ, & Christianæ pietatis exempla, quibus Divina Misericordia concilietur, accendit.* f. 23.

Die 19. Februarii 1703.

XI. *Concussa iterum vehementiori terræmotu Urbe in Festo Purificationis B. V., quo tempore Pontifex cum DD. Cardinalibus in Sixtino Sacello Sacris operabatur, Sanctitas Sua honorificè primùm commemorat Christianæ pietatis exempla, quæ tum DD. Cardinales, tum populus universus, ediderant ad avertendam atrox Divinæ iracundiæ flagellum. Indicit subindè Cappellam solemni ritu celebrandam in Basilica Vaticana die 22. præfati Mensis Februarii pro agendis Deo gratiis ob præservationem Urbis à periculo ejusdem nuperi terræmotus, nec non ad Divinam opem in posterum imploranda. Denique pervigilium Festi Purificationis B. V. deinceps Romæ quotannis cum jejunio servari, ac in eodem Festo post solemne Sacrum, quod in Pontificia Cappella de more peragitur, hymnum* Te Deum laudamus *perpetuò decantari decernit.* f. 25.

Die 17. Decembris 1703.

XII. *Creat S. R. E. Presbyterum Cardinalem Franciscum Pignattellum Archiepiscopum Neapolitanum.* f. 27.

Die

Die 18. Maji 1705.

XIII. *Leopoldi I. Romanorum Regis in Imperatorem electi obitum DD. Cardinalibus denunciat, ejuſque virtutes honorifica laudatione commemorat.* f. 29.

Die 17. Maji 1706.

XIV. *Creat viginti S. R. E. Cardinales, ex quibus novendecim evulgat, unum verò in pectore reſervat, arbitrio ſuo quandocumque declarandum.* f. 31.

Die 7. Junii 1706.

XV. & XVI. *Cardinalatus recuſationem à R. P. D. Gabriele Philippuccio ritè factam admittit, & in ejus locum S. R. E. Presbyterum Cardinalem creat Reverendiſſimum D. Michaelem Angelum de Comitibus Archiepiſcopum Tarſenſem.* f. 35.

Die 6. Decembris 1706.

XVII. *Rationes exponit, quibus ad promulgandum biduo ante Jubileum adductus fuerat. Subinde DD. Cardinales ad implorandam enixius à Deo inter Chriſtianos Principes pacem excitat. Ac demum eos, ut & aſſidua bonorum operum, illuſtriumque virtutum exempla ipſi edant, & domeſticorum ſuorum vigilem curam habeant, ac illos præcipuè, qui ordinis ſunt Clericalis, urgeant ad Sanctionem de Clericalis habitus diſciplina, quam propediem evulgare decreverat, exactè obſervandam adhortatur.* f. 39.

Die 21. Februarii 1707.

XVIII. *Petri Portugalliæ, & Algarbiorum Regis obitum, extrema devoti ejus in ſe, & Apoſtolicam Sedem ſtudii declaratione honorificè commemorata, DD. Cardinalibus nunciat; tum paterna monita, quibus novum Regem defuncti Natum ad æmulanda Majorum ſuorum de Catholica Fide optimè meritorum exempla incitaverat, expo nit.* f. 43.

Die 8. Junii 1707.

XIX. *Geſtis aliquot ante dies in cauſa electionis Epiſcopi Monaſterienſis breviter commemoratis, exponit Epiſcopum Paderbornenſem, & Canonicos Monaſterienſis Eccleſiæ, qui eum elegerant, humili retractatione emendaſſe quidquid contra Pontificium mandatum de proroganda Epiſcopi Monaſterienſis electione quovis modò peccaverant, & recitatis literis tum ab Epiſcopo Paderbornenſi, tum etiam à prædictis Canonicis ea de re ad Sanctitatem Suam datis, ad propoſitionem ejuſdem Monaſterienſis Eccleſiæ de more procedit.* f. 45.

Die 1. Auguſti 1707.

XX. *Quæ Eccleſiaſticæ libertati, & Authoritati in Regno Neapolis, in Ducatu Sabaudiæ, & Principatu Pedemontii, ac nuperrimè in Ducatu Parmæ, & Placentiæ à laica poteſtate illata fuerant, graviſſimis detrimentis ſummatim commemoratis, palam facit ſibi decretum, fixumque eſſe, quando in irritum ceciderant interpoſitæ pluries paternæ admonitiones, ſeveriora remedia inflictis Eccleſiæ vulneribus adhibere, ac ea, quæ Paſtoralis officii ratio poſtulabat, viriliter exequi. Quod re ipſa, & illicò præſtitit, promulgatis eo ipſo tempore, quo Sua Sanctitas hæc in Conſiſtorio diſſerebat, publiciſque, & conſuetis locis Urbis affixis tribus literis Apoſtolicis typis editis [Brevia vocant] quibus ea omnia, quæ in antedictis Dominiis geſta fuerant, Eccleſiaſticæ juriſdictioni, ac immunitati præjudicialia damnavit, & nulla, ac irrita declaravit, pluraque alia pro Eccleſiæ libertate, & Pontificiæ Authoritatis tuitione conſtituit.* f. 47.

In eodem Conſiſtorio.

XXI. *Declarat S. R. E. Presbyterum Cardinalem Joſephum Vallemanum Archiepiſcopum Athenienſem Palatii Apoſtolici Præfectum, quem in Conſiſtorio ſecreto habito die 17. Maji 1706. unà cum aliis novendecim Cardinalibus creaverat, & in pectore reſervaverat. Præterea alium ſimiliter Presbyterum Cardinalem creavit, ac renunciavit; videlicet R. P. D. Carolum Thomam Maillard de Tournon Patriarcham Antiochenum in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnit cum poteſtate Legati de Latere Generalem Viſitatorem Apoſtolicum.* f. 50.

Die 15. Aprilis 1709.

XXII. *Creat S. R. E. Cardinalet Ulyſſem Joſephum Gozzadinum Archiepiſcopum Theodoſiæ, Pontificiorum Brevium ad Principes à Secretis, ac etiam alium, quem in pectore reſervat.* f. 52.

Die 19. Junii 1709.

XXIII. *Cardinalitiæ Dignitatis abdicationem à D. Cardinali Franciſco Mariâ Mediceo ſponte factam admittit.* f. 53.

Die 22. Julii 1709.

XXIV. *R. P. D. Annibalem Albanum Sanctitatis Suæ Germani Fratris Filium deputat Nuncium extraordinarium ad Imperatorem, alioſque Reges, & Principes, ut in Pacis tractationibus inter eos propediem ineundis Apoſtolicæ Sedis dignitatem, & orthodoxæ Fidei rationes pro viribus tueatur.* f. 61.

In eodem Conſiſtorio.

XXV. *Declarat S. R. E. Presbyterum Cardinalem Antonium Franciſcum Sanvitalem Archiepiſcopum Urbinatem, Pontificii Cubiculi Præfectum, quem in Conſiſtorio ſecreto habito die 15. Aprilis proximè præteriti unà cum Eminentiſſimo Gozzadino Cardinalem creaverat, & in pectore reſervaverat.* f. 64.

Die 9. Septembris 1709.

XXVI. *Suos, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatos deputat, ac declarat, Bononiæ Laurentium Caſonum, Romandiolæ Thomam Ruffum, & Ferrariæ Laurentium Corſinum S. R. E. Cardinales.* f. 66.

Die 14. Octobris 1709.

XXVII. *Conſilium, quod ſuſceperat, Sereniſſimum Auſtriæ Archiducem Carolum honeſtandi titulo Regis Catholici Hiſpaniarum ad normam Clementinæ*: Si Summus Pontifex &c. *DD. Cardinalibus aperit.* f. 68.

Die 19. Februarii 1710.

XXVIII. *Quæ cùm à Carolo Hiſpaniarum Rege Catholico, tum ab ejus Adminiſtris in Ducatu Mediolanenſi, ac in Regno Neapolit geſta fuerant, ut detrimenta utrobique Eccleſiaſticæ auctoritati illata ſarcirentur; quæque inſuper à Sanctitate Sua, ejuſque permiſſu à DD. Cardinalibus Archiepiſcopis Mediolanenſi, & Neapolitano peracta fuerant, ut uberiùs Eccleſiæ ſatisfieret, DD. Cardinalibus luculenter exponit.* f. 71.

In eodem Conſiſtorio.

XXIX. *Transfert D. Cardinalem Ruffum à Legatione Romandiolæ ad Legationem Ferrarien.* f. 75.

Die

Die 7. Maji 1710.

XXX. *Expoſitis primùm iis, quæ decernenda cenſuerat de Pacificationis tractatu ab Auguſto Poloniæ Rege dudum cum Suecis inito: tum etiam iis, quæ idem Rex egerat, ut inuſtam ex eodem tractatu Regio Nomini labem prorſus abſtergeret, & Pontificiæ voluntati obſequeretur: DD. Cardinalibus ſuſceptum conſilium aperit præficiendi viduatis Poloniæ Eccleſiis perſonas, pro quibus idem Rex de more ſupplicaverat. Demum plura ſubjicit admodùm honorifica de filiali ipſius Regis in Sanctam Sedem obſequio, ac de Regia deliberatione adjungendi quamprimùm Principi ejus nato pios, proboſque viros, qui illum orthodoxæ Fidei præceptis, ac ritibus imbuant.* f. 76.

Die 19. Maji 1710.

XXXI. *Sacro Collegio nunciat Antonium Ulricum Ducem Brunſvicenſem, & Luneburgenſem, ejurata palam Lutherana hæreſi, Catholicam Religionem ſuſcepiſſe.* f. 81.

Die 1. Decembris 1710.

XXXII. *Quæ à Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duce piè non minùs, quàm juſtè peracta fuerant pro revocandis iis, quæ in Codice* Leopoldo *nuncupato juſſu ejuſdem Ducis jampridem edito, & à Sanctitate Sua damnato adversùs Eccleſiæ jura continebantur, aliiſque inde ſecutis plenè emendandis, latè exponit.* f. 84.

Die 27. Aprilis 1711.

XXXIII. *Immaturum, ac verè inopinatum obitum cla. me. Joſephi I. Romanorum Regis in Imperatorem electi DD. Cardinalibus denunciat, eaque occaſione ad defuncti Principis laudem refert conſilium ab illo ſuſceptum Apoſtolicæ Sedi ea omnia, quæ obedientiſſimum S. R. E. Filium decebant, per Oratorem ſuum cumulatè exhibendi. Accepto ſiquidem à Majoribus ſuis more ſuas jam ad id literas miſerat ab eodem Oratore Sanctitati Suæ ſolemniter reddendas, aliaque omnia hac in re ita diſponi curaverat, ut quæ Romæ demum agenda ſupererant, antiquis Romanæ Eccleſiæ moribus plenè conformarentur.* f. 89.

Die 11. Maji 1711.

XXXIV. *Galliæ Delphini obitum DD. Cardinalibus nunciat, commemoratiſque ejus virtutum laudibus Exequias pro refrigerio illius Animæ in Pontificio Sacello de more celebrandas indicit.* f. 93.

Die 14. Octobris 1711.

XXXV. *Obitum piæ recordationis Caroli Thomæ S. R. E. Cardinalis de Tournon Macai in Sinarum Imperio die 8. Junii 1710. ſecutum DD. Cardinalibus communicat, ejuſque præclaris in Eccleſiam, Apoſtolicam Sedem, Catholicamque Religionem meritis ſuis commemoratis, Exequias pro ſuffragio ejus Animæ in Pontificio Sacello ſolemniter celebrandas indicit.* f. 95.

In eodem Conſiſtorio.

XXXVI. *Deputat deinde ſuum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum Joſephum Renatum S. R. E. Diaconum Cardinalem Imperialem ad Carolum III. Hiſpaniarum Catholicum, nec non Hungariæ, & Bohemiæ Regem Illuſtrem, qui nuperrimè è Civitate Barchinonenſi in Italiam profectus Mediolani conſtiterat, & hinc Germaniam repetere conſtituerat.* f. 98.

Die

Die 23. Decembris 1711.

XXXVII. *Creat S. R. E. Diaconum Cardinalem Annibalem Albanum Sanctitatis Suæ ex fratre germano Nepotem, utriusque Signaturæ Referendarium, Cameræ Apostolicæ Præsidem, ac nuper ad Tractum Rheni, aliasque partes inferioris Germaniæ Nuncium Apostolicum extraordinarium.* f. 100.

Die 30. Januarii 1712.

XXXVIII. *Excipit D. Cardinalem Josephum Renatum Imperialem, qui ab Apostolica Legatione ad Carolum III. Hispaniarum Regem Catholicum Mediolani obita feliciter ad Urbem redierat.* f. 102.

Die 16. Martii 1712.

XXXIX. *Acerbum Galliæ Delphini obitum, qui alteri Delphino ejus Patri ante paucos menses defuncto successerat, DD. Cardinalibus nunciat, relatisque amplissime ejus laudibus, Exequias pro suffragio illius Animæ in Pontificio Sacello de more celebrandas indicit.* f. 104.

Die 20. Aprilis 1720.

XL. *Consilium suum promovendi Canonizationem Beatorum Pii V., Andreæ Avellini, Felicis à Cantalicio, & Catharinæ de Bononia Sacro DD. Cardinalium Collegio aperit, eorumque sententias exquirit.* f. 106.

Die 6. Maji 1712.

XLI. *Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum super Canonizatione B. Pii V. exquirit.* f. 110.

Die 9. Maji 1712.

XLII. *Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum super Canonizatione B. Andreæ Avellini exquirit.* f. 113.

Die 11. Maji 1712.

XLIII. *Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum super Canonizatione B. Felicis à Cantalicio exposcit.* f. 115.

Die 18. Maji 1712.

XLIV. *Sententias DD. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum super Canonizatione B. Catharinæ de Bononia exquirit.* f. 118.

In eodem Consistorio.

XLV. *Creat octodecim S. R. E. Cardinales, ex quibus tamen undecim tantùm evulgat, reliquos septem in pectore, ut vocant, reservat arbitrio suo quandocumque evulgandos.* f. 121.

Die 11. Julii 1712.

XLVI. *Accensum inter Helvetios bellum, & gravia inde Orthodoxæ Religioni impendentia pericula dolet. Subsidia illis Catholicis missa, ac officia cum Principibus, qui ipsis opitulari possunt, adhibita commemorat. In tanto tamen rerum discrimine divinam in primis opem implorandam esse monet, eumque in scopum Christifideles Urbis prolatis Indulgentiarum thesaurit se incitare velle significat. Demum DD. Cardinales ad gravissimam hanc Causam consiliis, ope, precibus enixè juvandam hortatur.* f. 124.

Die

Die 26. Septembris 1712.

XLVII. *Declarat quatuor dumtaxat ex ſeptem S. R. E. Cardinalibus, quot aliàs, nempe in Conſiſtorio ſecreto habito poſt Semipublicum die 18. Maji proximè præteriti, una cum aliis undecim Cardinalibus tunc publicatis creaverat, & in pectore reſervaverat.* f. 127.

Die 5. Octobris 1712.

XLVIII. *Principem Franciſcum Ludovicum ex Comitibus Palatinis Rheni Electum Vvormatienſem, Adminiſtratorem Eccleſiæ Vratislavienſis, nec non Theutonicæ Militiæ Magnum Magiſtrum deputat Coadjutorem Archiepiſcopi Moguntini, & quæ ille de Apoſtolicis Nunciis honorificè excipiendis, nec non de Altranſtadenſibus Pactionibus, ac receſſu Religionis pro inferiori Palatinatu, ita habendis, perinde ac ſi nunquam emanaſſent, pollicitus fuerat, DD. Cardinalibus palàm facit, recitatis tum ejuſdem Franciſci Ludovici literis ad Sanctitatem Suam datis, tum etiam plurium aliarum literarum exemplis, quæ Sanctitas Sua ad Imperatorem, Electorem Palatinum, ac ipſum Principem Franciſcum Ludovicum his de rebus perſcripſerat.* f. 129.

Die 30. Januarii 1713.

XLIX. *Commemoratis quamplurium S. R. E. Cardinalium brevi tempore extinctorum funeribus, ac inter eos Cardinalis Thomaſii noviſſimè defuncti virtutibus præcipua laude celebratis, declarat reliquos tres Cardinales, qui ſupererant ex iis, quos præterito anno creaverat, & in pectore reſervaverat, nimirum Emmanuelem Arias Archiepiſcopum Hiſpalenſem, Benedictum Sala Epiſcopum Barchinonenſem, Melchiorem de Polignac Rotæ Romanæ Auditorem. Creat inſuper duos alios Cardinales, nempe Benedictum Odeſcalcum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & alium, quem in pectore reſervat, arbitrio ſuo quandocumque evulgandum.* f. 136.

Die 28. Aprilis 1713.

L. *Cùm aliquot ante dies ad Urbem veniſſet Religioſus Vir Joannes Joſeph Mazet Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Profeſſor à Venerabili Viro Samuele Capaſulis Patriarcha Alexandrino Ritus Græci miſſus, ac Procurator ad infraſcripta ſpecialiter conſtitutus, literaſque attuliſſet ejuſdem Patriarchæ Græco idiomate conſcriptas, quibus ille Sanctiſſimo Patri ſignificabat ſe divino illuſtratum lumine vetus Græcorum Schiſma, ejuſque errores ejuraſſe, ac Orthodoxæ Fidei profeſſionem emiſiſſe, tranſmiſſis ea de re opportunis documentis: eumdem propterea Summum Pontificem, quem ut verum B. Petri Succeſſorem agnoſcebat, humiliter obſecrans, ut ſuum Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulatum Apoſtolica auctoritate confirmaret, eique Pallium mittere dignaretur: attributa demum antedicto Mazet plena facultate ſupplendi quidquid à ſe omiſſum fuiſſet, ſuoque nomine agendi ea omnia, quæ in præmiſſis neceſſaria, ac opportuna Sanctitati Suæ viſa fuiſſent. Idem Sanctiſſimus Pater, ne quid in re tanti momenti, niſi qua par erat, maturitate, ac ſeria adhibita conſultatione decerneret, ſcripta, & poſtulata memorati Patriarchæ diſcutienda commiſit primùm quidem Congregationi DD. S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum, ſubindè verò particulari Congregationi nonnullorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, & aliquot Romanæ Curiæ Prælatorum, ac Theologorum a Sanctitate Sua ſpecialiter ad id deputatorum, quos ipſamet Sanctitas Sua coram ſe de hac re diſſerentes audire voluit. Illorum itaque auditis ſententiis, nec non auditis pariter, & ſane pluries Sacrarum Cæremoniarum Magiſtris, ac iis omnibus, quæ ad actionem ritè, & ordine, ac prorſus ex dignitate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ perficiendam*

conducere viſa ſunt, ſedulò expenſis, diſpoſitis, & conſtitutis, Sua Sanctitas Conſiſtorium indixit, in quod hac ipſa die habitum ab uno ex DD. Caremoniarum Magiſtris antequam fores de more clauderentur, introductus fuit R. P. D. Proſper de Lambertinis, utriuſque Signaturæ Referendarius, Prælatus Domeſticus Pontificius, & Advocatus Conſiſtorialis, ſimulque introducti etiam fuere prædictus Joannes Joſeph Mazet Patriarchæ Alexandrini Procurator, nec non duo Monachi Ordinis Sancti Baſilii Ritus Græci, qui ab eodem Patriarcha pariter ablegati fuerant, illius literas, aliaque ab eo tranſmiſſa documenta elevatis manibus deferentes, à pluribus Græcis, qui in eorum comitatu erant, aſſociati.

Quibus omnibus, nec non Prælatis, & Nobilibus plurimis, qui frequentiſſimi convenerant, ac præſertim Epiſcopis, quos Pontificii Solii Aſſiſtentes nuncupant, & nonnullis Protonotariis Apoſtolicis præſentibus, antedictus R. P. D. Proſper de Lambertinis è regione Pontificiæ Sedis conſtitutus, flexis genibus luculentam habuit Orationem, in qua nomine prædicti Patriarchæ debitam filialem obedientiam Sanctitati Suæ præſtitit, & ab ea Pallium humiliter poſtulavit. Sanctiſſimus delatam obedientiam paterno affectu excepit, petitumque Pallium benignè conceſſit. Demum ceteris omnibus dimiſſis, clauſoque Conſiſtorio, DD. Cardinalibus rationes expoſuit, quibus adductus fuerat ad indulgendum, ut hactenus dilata Cathedralium Eccleſiarum in Regnis Hiſpaniarum vacantium proviſio non ampliùs retardaretur. f. 139.

Die 22. Maji 1713.

LI. *Præficit Eccleſiæ Tornacenſi in Epiſcopum, & Paſtorem Jo: Erneſtum ex Comitibus à Louvenſtein abſque ulla prævia cujuſquam nominatione, & cum narrativa, quod ejuſdem Eccleſiæ proviſio ob ceſſationem Indulti à Clemente IX. Regi Chriſtianiſſimo, ejuſque Succeſſoribus dudum conceſſi, ad Sedem Apoſtolicam liberè omnino pertineat.* f. 157.

Die 18. Septembris 1713.

LII. *Confirmat electionem de perſona Raymundi Ferdinandi ex Comitibus de Rabatta in Epiſcopum Eccleſiæ Paſſavienſis ab illius Capitulo, & Canonicis, tametſi eadem Eccleſia per obitum bo. me. Cardinalis de Lamberg vacaret, adeoque Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni ſpecialiter reſervata exiſteret, rite factam, attento peculiari Indulto à S. M. Innocentio XII. ante promotionem defuncti Cardinalis, tunc Epiſcopi, ad Sacram Purpuram, præfatis Capitulo, & Canonicis benigne conceſſo: prævia caſſatione Capitulationum ab ipſis initarum, & cum ſuppletione quorumcumque defectuum.* f. 160.

Die 27. Novembris 1713.

LIII. *Declarat, ac deputat ſuum, Sediſque Apoſtolicæ de Latere Legatum Romandiolæ D. Cardinalem Gozzadinum.* f. 164.

Die 16. Februarii 1714.

LIV. *Excipit benignè coram ſex DD. Cardinalibus, videlicet de Abdua, Sacripante, Paulutio, Imperiali, Columna, & Albano, Marchionem de Prié Caroli Sexti Romanorum Regis in Imperatorem electi Oratorem, ſpecialiter à Majeſtate Sua delegatum ad illa omnia ejus nomine Sanctitati Suæ præſtanda, & ad ea reſpectivè poſtulanda, quæ illius Majores in Romanorum Reges, & Imperatores recens electi Romanis Pontificibus præſtare, & ab iis reſpectivè poſtulare conſueverunt.* f. 165.

Die

Die 16. Aprilis 1714.

LV. *Declarat Bononiæ de Latere Legatum D. Cardinalem Cusanum.* f. 170.

Die 7. Maji 1714.

LVI. *Antonii Ulrici Ducis Brunſvvicenſis, & Luneburgenſis obitum cum honorifica illius virtutum commemoratione DD. Cardinalibus nunciat, ejuſque animæ refrigerium publicis Exequiis in Eccleſia Collegii de Propaganda Fide coram illis Cardinalibus, qui ejuſdem Propagandæ Fidei negotiis præpoſiti ſunt, celebrandis comparari mandat.* f. 171.

Die 28. Maji 1714.

LVII. *Ferrariæ de Latere Legatum declarat D. Cardinalem Piazza.* f. 174.

Die 20. Auguſti 1714.

LVIII. *Suum, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatum deputat D. Cardinalem Gozzadinum ad Principiſſam Parmenſem Philippi V. Hiſpaniarum Regis Catholici Sponſam, brevi ex Italia diſceſſuram.* f. 175.

Die 7. Decembris 1714.

LIX. *Gravibus malorum procellis, quibus ab ipſo ſuſcepti Pontificatus initio agitatus ſemper fuerat, noviſque in dies acerbioribus vulneribus, quæ Eccleſiaſticæ libertati, Pontificiæ authoritati, imò etiam Orthodoxæ Religioni inferebantur, commemoratis, conſilium aperit ſuum impavido, ſtrenuoque animo exequendi ea, quæ Paſtoralis officii ratio poſtulabat, eumque in ſcopum DD. Cardinales vehementer hortatur, ut occaſione Indulgentiæ à Sanctitate Sua in forma Jubilei nuperrimè conceſſæ per accuratas eorum preces divinam illi opem tam neceſſario tempore conciliare ſtudeant.* f. 177.

Die 21. Januarii 1715.

LX. *Nuperæ Pacificationis inter Imperatorem, & Imperii Principes ex una, ac Regem Chriſtianiſſimum ex altera partibus in Oppido Badenſi ſtabilitæ Capitibus, Orthodoxæ Fidei, Eccleſiæ, Sanctæque Sedi tum favorabilibus, tum etiam præjudicialibus explicatis: recitari mandat Proteſtationem ibidem à R. P. D. Paſſioneo juſſu Sanctitatis Suæ factam, deinde differit de ingenti bellico apparatu, quem Turcarum Tyrannus adornabat, & DD. Cardinales hortatur, ut Deum obſecrent, quatenus fructuoſas eſſe velit Pontificias monitiones, & preces, quibus Chriſtianos Principes ad fortiter occurrendum periculo rei Chriſtianæ à Barbaris impendenti vehementer pro Paſtoralis officii debito incitaverat.* f. 180.

Die 20. Februarii 1715.

LXI. *Cauſas exponit, quibus ad extinguendum, ac penitùs abolendum prætenſæ Apoſtolicæ in Regno Siciliæ Legationis, & Monarchiæ nuncupatæ Tribunal adductus fuerat. Mox ſpecialem Conſtitutionem hac ipſa die ea de re promulgatam, nec non Breve modum præſcribens, quo Cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in dicto Regno deinceps judicari deberent, eadem pariter die editum recitari mandat.* f. 190.

Die 6. Maji 1715.

LXII. *Regem Catholicum laudat, quòd reſciſſis Decretis contra D. Cardinalem Judice Inquiſitorem Generalem Hiſpaniarum, ipſamque Inquiſitionis Tribunal latis, eumdem Cardinalem in Hiſpanias honorificè revocaverat.* f. 194.

In eodem Conſiſtorio.

LXIII. *S. R. E. Diaconum Cardinalem creat R. P. D. Fabium Oliverium Protonotarium Apoſtolicum, Secretorum Brevium Secretarium, ac Palatii Apoſtolici Pro Præfectum.* f. 196.

Die

Die 29. Maji 1715.

LXIV. *Jubileum universale indicit ad implorandam divinam opem contra Turcas. Mox S. R. E. Cardinalem declarat Damianum Hugonem ex Comitibus de Schonborn, alias in pectore reservatum.* f. 197.

In eodem Consistorio.

LXV. *Creat S. R. E. Cardinalem Henricum de Thiard de Bissy Episcopum Meldensem, ac demum tres alios in pectore reservat.* f. 200.

Die 23. Septembris 1715.

LXVI. *Christianissimi Galliarum Regis Ludovici XIV. obitum, qui prima die mensis Septembris contigerat, Sacro Collegio de more nunciat, ejusque virtutibus, ac rebus gestis amplissimo præconio decoratis, Exequias pro suffragio illius Animæ in Pontificio Sacello celebrandas indicit.* f. 201.

Die 16. Decembris 1715.

LXVII. *Ante præconia, & propositiones Ecclesiarum declarat Urbini de Latere Legatum D. Cardinalem de Via.* f. 204.

In eodem Consistorio.

LXVIII. *Post præconia, & propositiones Ecclesiarum, creat quatuor S. R. E. Cardinales, ac subinde tres illos Cardinales declarat, & palam evulgat, quos in Consistorio die 19. Maji proximè præteriti habito creaverat, & in pectore reservaverat.* f. 205.

Die 13. Januarii 1716.

LXIX. *Ingruentia Christianæ Reipublicæ, Italiæ potissimùm, ac ipsimet Urbi à Barbarorum armis pericula, & quæ ad ea avertenda gesserat, ac gerere meditabatur, exponit; deinde DD. Cardinales ad subsidia in usum tam necessarii belli, & communis defensionis liberaliter conferenda enixè hortatur.* f. 207.

Die 30. Martii 1716.

LXX. *Iterum de Turcico bello fusè disserit, quæque ad propulsandos hostiles conatus gesserat, & à Christianis etiam Principibus gesta fuerant, diserte commemorat. Decimarum subsidium indicit. Cardinali Ursino Germanicam profectionem remittit.* f. 211.

Die 30. Septembris 1716.

LXXI. *Insignem de Turcis Victoriam in Hungaria partam DD. Cardinalibus communicat. Principem Eugenium à Sabaudia meritis ornat laudibus, eique Pileum, & Ensem solemni ritu benedictos largiri constituit.* f. 215.

Die 6. Septembris 1716.

LXXII. *Excipit in Basilica Liberiana quatuor vexilla in Hungarico prælio Turcis erepta, quæ D. Cardinalis de Schrottembach nomine Augustissimi Imperatoris Sanctitati Suæ reverenter offert.* f. 219.

Die 7. Decembris 1716.

LXXIII. *Ad Ecclesiam Patriarchalem Ulyxbonensem Occidentalem noviter erectam transfert R. P. D. Thomam de Almeyda Episcopum Portugallensem.* f. 221.

Die 14. Januarii 1717.

LXXIV. *Communicat DD. Cardinalibus deditionem à Turcis Augustissimo Imperatori factam munitissimi Oppidi Temesvarig, & Cappellam sancto Epiphanig die in Liberiana Basilica pro gratiarum actione habendam indicit.* f. 225.

Die

Die 15. Martii 1717.

LXXV. *Creat S. R. E. Cardinalem Gibertum Borromeum Patriarcham Antiochenum, Epiſcopum Novarienſem, & Pontificii Cubiculi Præfectum.* f. 229.

Die 12. Aprilis 1717.

LXXVI. *Transfert à Legatione Urbini ad Legationem Romandiolæ D. Cardinalem Joannem Antonium de Via, & declarat Bononiæ de Latere Legatum D. Cardinalem Curtium Origum.* f. 231.

Die 12. Julii 1717.

LXXVII. *Quæ Rex Catholicus egerat, ut in ejus Regnis Apoſtolicæ Sedis Authoritas priſtinum in ſtatum reſtitueretur exponit, ac deinde Abbatem Julium Alberonum, cujus opera præfatus Rex in graviſſimo hoc negotio uſus fuerat, S. R. E. Cardinalem creat unà cum alio, quem in pectore reſervat.* f. 233.

Die 1. Octobris 1717.

LXXVIII. *Novam de Turcis relatam in Hungaria victoriam, & Albæ Græcæ deditionem DD. Cardinalibus ſignificat. Cappellam in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam pro gratiarum actione, & juſta Chriſtianæ pietatis officia in Pontificio Sacello pro Defunctis tam in Hungarica Acie, quàm in Navalibus ad Orientem præliis indicit.* f. 237.

In eodem Conſiſtorio.

LXXIX. *Poſt propoſitionem, & præconia Eccleſiarum declarat S. R. E. Cardinalem Emericum Czaky Archiepiſcopum Colocenſem, quem in alio Conſiſtorio habito die 12. Julii ejuſdem anni creaverat, & in pectore reſervaverat.* f. 241.

Die 11. Octobris 1717.

LXXX. *Abjurationem Lutheranæ hæreſis à Friderico Auguſto Principe Regio Poloniæ, & Electorali Saxoniæ ante quinquennium Bononiæ peractam DD. Cardinalibus ſignificat, & plures illius literas ea de re ad Sanctitatem Suam datas recitari mandat.* f. 243.

Die 6. Decembris 1717.

LXXXI. *Plenariam Indulgentiam in forma Jubilei indicit ad divinam opem in periculis, quæ Italicæ tranquillitati imminere proſpicit, implorandam.* f. 249.

Die 19. Januarii 1718.

LXXXII. *Ferrariæ de Latere Legatum declarat D. Cardinalem Joannem Patritium.* f. 251.

Die 15. Martii 1719.

LXXXIII. *Matrimonii inter Fridericum Auguſtum Electoralem Saxoniæ, Regiumque Poloniæ Principem, & Mariam Archiducisſam Auſtriæ cla. me. Joſephi Imperatoris Filiam natu majorem ſtabiliti nuncium DD. Cardinalibus communicat.* f. 252.

Die 29. Martii 1719.

LXXXIV. *Conſtituit D. Cardinalem Albanum S. R. E. Camerarium loco bo: me: Cardinalis Jo: Baptiſtæ Spinulæ proximè defuncti, cum emolumentorum Sigilli diſmembratione, eorumque in Cameræ Apoſtolicæ beneficium applicatione.* f. 255.

Die 26. Aprilis 1719.

LXXXV. *Permittit D. Cardinali Aſtallio optionem Eccleſiarum Oſtienſis, & Veliternenſis cum Decanatu Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii.* f. 258.

Die 18. Septembris 1719.

LXXXVI. *Relato Religionis Chriſtianæ ſtatu in Sinarum Imperio, ac iis omnibus, quæ poſt editam ſuper Ritibus, & Cæremoniis Sinenſibus Conſtitutionem ibidem evenerant, commemoratis, exponit ſuſceptum à ſe conſilium illuc rurſus mittendi novum Viſitatorem Apoſtolicum, & ad ejuſmodi Miniſterium deligit R. P. D. Carolum Ambroſium Mediobarbam Papienſem V. S. Referendarium, quem mox Patriarcham Alexandrinum creat.* f. 262.

Die 29. Novembris 1719.

LXXXVII. *Creat decem S. R. E. Cardinales, novem evulgat, & unum in pectore ſibi reſervat.* f. 269.

Die 20. Martii 1720.

LXXXVIII. *Rationes explicat, quibus adductus conſilium ſuſceperat præcipiendi Ludovico de Belluga, & Moncada Epiſcopo Carthaginenſi in virtute Sanctæ obedientiæ, ut ei delatam Cardinalitiam Dignitatem acciperet.* f. 275.

Die 6. Maji 1720.

LXXXIX. *Profectionem Patriarchæ Alexandrini ad Civitatem Ulyſſiponenſem, & præcipua honoris, benevolentiæ, ac liberalitatis argumenta, quibus à Rege Luſitaniæ exceptus, & poſtmodum ad Sinas honorificentiſſimè dimiſſus fuerat, eleganter exponit.* f. 278.

Die 30. Septembris 1720.

XC. *Expoſita Epidemicæ luis inter Maſſilienſes graſſantis calamitate ſolemnem ſupplicationem indicit ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum ad Baſilicam S. Mariæ Majoris ad ejuſmodi graviſſimi flagelli ceſſationem à Divina Miſericordia implorandam.* f. 280.

In eodem Conſiſtorio.

XCI. *Poſt Præconia, & Propoſitiones Eccleſiarum creat S. R. E. Presbyteros Cardinales Carolum Borgiam Patriarcham Indiarum, & Alvarum Cienfuegos Soc. Jeſu Presbyterum, nec non declarat ejuſdem S. R. E. Cardinalem Jo: Franciſcum Barbadicum Epiſcopum Brixienſem, quem in Conſiſtorio habito die 29. Novembris 1719. in pectore reſervaverat.* f. 282.

Die 16. Decembris 1720.

XCII. *Sacro Collegio nuncium communicat inſignis victoriæ, quam Rex Catholicus de Mauris reportaverat, & Septenſem Civitatem à diuturna eorumdem hoſtium obſidione feliciter liberaverat.* f. 284.

Die 3. Februarii 1721.

XCIII. *Novam Victoriam à Rege Catholico de Mauris in Africa relatam Sacro Collegio communicat.* f. 286.

Die

Die 3. Martii 1721.

XCIV. *Controverſiam exponit rurſus obortam circa Decanatum Sacri Collegii vacantem per obitum Cardinalis Aſtalli, ac de eo juxta Conſilium particularis Congregationis à Sanctitate Sua deputatæ decidit pro D. Cardinali Tanario, cui etiam Oſtienſis, & Veliternenſis Eccleſiarum optionem permittit.* £. 289.

FINIS.

REGESTUM.

.... A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo

Omnes ſunt Duerniones, præter Pp Qq Rr, quæ ſunt folia ſimplicia.

MAG 655